mi matr. per hujusmodi impotentiam. Quia carens perpetua potentia ad copulam conjugalem habendam, non potest tradere alteri potestatem ad eum actum. Cum impossibilium nulla sit obligatio, *Impossibilium ff. de reg. jur. & c. Nemo ad impossibile*, *eod. t. in 6.* & nemo dare potest, quod non habet, *c. Quod autem, de jurepatronatus l. si universi C. de legibus*. At essentia matrimonii consistit in perpetua obligatione, & traditione potestatis corporis ad copulam conjugalem. Cum ergo res naturaliter absque sua essentia consistere nequeat, repugnat naturæ matrimonii id validum esse existenti ea impotentia: ac proinde attento ipso naturæ jure irritum erit. Et ideo hujus sent. videntur aperte quidam DD. qui prædicta utuntur ratione ad probandum dirimi matrimon. per impotentiam. Quamvis enim non explicent quo jure dirimatur, at ratio cui innituntur, clare probat jure naturæ dirimi. Hi sunt *D. Tb. 4. d. 34. q. un. ar. 2. ad 1. & ibi Durand. qu. 2. n. 6. & 9. D. Bonav. 2. qu. 1. ad 1. Ricard. ar. 2. q. 1. corpore, & ad 1. Turrec. 33. q. 1. in sum. nu. 8. in solut. ad 1. Sylv. v. Matrim. 8. q. 16. fin. Viguer. lib. institut. c. 16. §. 7. vers. 9. impedim. 11.* Atque in propriis terminis docent ex Theologis, *Scotus 4. dist. 34. q. un. statim in prin. & ibi Almain. qu. un. Sotus qu. un. art. 2. col. 3. concl. 1. Palacios disp. 1. ad finem. Rubion 4. dist. 39. q. 1. ar. 1. concl. 1. Abulensis 3. Regum c. 2. qu. 25. Ledesf. 2. p. 4. q. 60. ar. 1. colum. 2. vers. Sed dubium est. Victoria sum.* ubi de matr. *nu. 283. Petr. de Soto lect. 5. de matr. pag. 5. paulo ante vers. Dicendum jam. Veracr. 1. p. Speculi, ar. 38. post 7. concl. vers. Quia hoc impedimentum. Enriq. l. 12. de matr. c. 7. n. 5. Bart. de Led. de matr. dub. 48. concl. 1. Lud. Lop. 2. p. instruct.* ubi de matr. *c. 52. col. 2. Valen. 4. disp. 10. qu. 5. punct. 3.* ubi de impotentia, *vers. Constat autem. Petr. de Led. de matr. q. 58. ar. 1. dub. 7. quod movent circa solut. ad 7. principale, concl. 1.* et ex Jurisperitis, *Jo. de Friburgo in sum. confess. l. 4. t. 16. init. Sylv. v. Matrimon. 6. q. 5. d. 3. Spino Speculo testam. gl. 15. principali, num. 96.*

3 Hinc deducitur, quid sentiendum sit de impotentia non totali, ut quando quispiam potest coire, non tamen verum semen emittere: ut contingit Eunuchis utroque testiculo orbatis, *Petrus de Led. n. præc. relatus*, ait non esse omnino improbabile, minime dirimi matr. jure naturæ per hujusmodi impotentiam, sed solo jure Ecclesiastico. Quia salvatur quodammodo finis matrimonii secundarius, qui est concupiscentiæ satisfacere. Deinde, quia ante motum proprium Sixti V. multi gravissimi Doctores censuere id matr. nullo jure irritum esse: & quamvis Sixtus V. declararit irritum, at non explicuit, num solo jure Ecclesiastico antiquiori, an potius jure naturæ (ut hæc vidimus disp. 92. n. 15. & duplici seq.) At jure optimo dicit *idem Petr. de Led. ibi.* multo probabilius esse, dirimi jure naturæ matrimonium per hujusmodi impotentiam. Quod idem sustinet *Enriq. l. 11. de matr. c. 10. nu. ult. & l. 12. c. 7. nu. 5. fin. & c. 8. n. 1.* Quia cum non dicatur copula quæ non consummari potest, vero semine intra vas emisso (ut probavimus disp. 92. n. 17.) impotens ad hanc emissionem dicitur vere, & absolute impotens ad copulam conjugalem, ac proinde nequit tradere potestatem sui corporis ad copulam conjugalem, in quo consistit natura matrimonii. Quare ratio n. 2. adducta, qua probavimus per impotentiam totalem dirimi jure naturæ matrimonium, procedit in hoc casu.

4 Secundo deducitur, dirimi quoque jure naturæ matr. quando vir non est omnino frigidus, ut quia semen verum emittit, at præ nimio calore statim semen spargit extra vas, aut ex indebita membri figura aut debilitate non potest intra vas seminare, nec his morbis aliqua medica arte succurri potest. Quia vere hic est impotens ad copulam conjugalem: ac proinde in eo militat n. 2. tradita. Quamvis *Enriq. l. 12. de matrim. cap. 7 n. 4.* dicat in his casibus saltem jure Ecclesiastico dirimi matrim. si femina eam impotentiam ignoret: ubi videtur censere non dirimi jure naturæ. Sed profecto ratio adducta probat jure naturæ dirimi. Quod verissimum reputo, nec quidquam refert ad ejus valorem, non latuisse feminam eam viri impotentiam, ut probavi disp. 92. n. 12.

5 Tertio deducitur, similiter dirimi jure naturæ matr. per impotentiam perpetuam, quæ non est absoluta respectu omnium, sed tantum respectiva ad aliquam personam, nam cum illa persona, ad quam est, nequit jure naturæ consistere matrim. Quia ita impedit posse tradi potestatem corporis ad copulam illi personæ, sicut impotentia absoluta respectu omnium. Quare respectu illius personæ, ad quam est talis impotentia, non potest essentia matrimonii salvari: ac proinde cum illa erit jure naturæ irritum.

6 Quarto deducitur, non esse approbandum quod tradit *Enriq. l. 12. de matr. c. 8. nu. 2.* de impotentia ex maleficio consurgente, ubi sic distinguit. Si maleficium perpetuo impediat respectu omnium, reddit jure naturæ incapacem matrimonii maleficiatum: si vero tantum sit respectu unius personæ: reddit saltem jure Ecclesiastico incapacem respectu illius. At ego in utroque casu dirimi jure naturæ matrim. censeo: in priori quidem, respectu omnium, in posteriori autem, respectu illius ad quam est impotentia illa perpetua ex maleficio consurgens. Et ad hoc sentiendum adducor ob rationem nu. præcedenti traditam. Quod censuit *Mart. de Led. 2. p. 4. q. 60. ar. 2. paulo post princ.* dicens absolute per impotentiam perpetuam maleficii dirimi jure divino naturali matrimonium.

7 Ultimo infertur, etiam inter infideles esse matrim. irritum, ob impotentiæ ad copulam conjugalem impedimentum. Constat ex dictis: cum hoc impedimentum ex ipso jure naturæ etiam infideles liganti proficiscatur. Et ita docet *Rubin 4. d. 39. qu. 1. ar. 1. concl. 1.*

8 Ad arg. n. 1. proposita resp. Ad primum dic non in omnibus æquiparari, sed quoad effectum matrim. dirimendi. Ad confirm. dic negandam esse majorem. Diversa enim est ratio, quod perpetuæ impotentiæ repugnet ex ipsa rei natura obligatio ad copulam conjugalem, ex matrim. contractu pullulans: secus de impotentia temporali. Qui enim nunc solvendo non est, potest obligari ad solvendum in futurum, quando speratur fore, ut facultates supetant: cujus obligationis incapax est, qui nunquam solvendo foret, ut si rem impossibilem promitteret: ut nontem aurum. Ad 2. dic disparem esse rationem. Quia ubi est impotentia, repugnat traditio potestatis corporis ad copulam, utpote rei impossibilis: at ubi solum obstat votum simplex, cum uterque conjux sui corporis dominus maneat, ac usus ejus, potest valide potestatem illius tradere. Quod ad matrimonii essentiam sufficit: quamvis usui aliunde sit illicitum. Adde falsum esse, ligatum simplici religionis voto non teneri debitum reddere, si matrim. ineat. Nam ex lege matrimonii tenetur, nisi ad religionem transeat, vel quia transire non vult, vel quia non admittitur. Et licet votum minime emississet, non teneretur reddere debitum, si ante consummationem eligeret transitum ad religionem. Quia satis est ad matr. essentiam ut ex vi ipsius obligatio oriatur, non electo statu perfectiori religionis, qui vim habet ipsum dirimendi.

DISPUTATIO XCIX.

An matr. ratione impotentiæ naturalis, aut maleficii alterutrius conjugis dissolutum, sit restaurandum quando conjux impotens ad alias nuptias transiit: aut fonicatus est, & quoties restaurandum sit: & quid, si vir sit jam professus, aut sacris ordinibus initiatus?

SUMMARIUM.

Quot quæstiones disputandæ sunt, n. 1.

Quanta cautela debeant judices discutere causas, ex quibus impotentia oritur ad judicium ferendum, 2.

Proponitur textus, cap. Laudabilem, de frigid. in quo stat difficultas, & proponuntur aliquot contra eum, 3.

Posterius matrimonium a frigido initum absque ejus consummatione, non arguit deceptionem in sententia, qua prius dissolutum est, sed quando est consummatum, 4.

Eamdem deceptionem arguit, quando vir ille frigidus cum alia fornicatur, 5.

Separatus a matrimonio ratione frigiditatis, si aliud ineat, statim absque alia probatione dissolvendum est posterius, 6.

Ut restauretur prius frigidi matrimonium, probanda est posteriorisi consummatio, aut alia frigidi fornicatio, 7.

Quid efficere debeat judex, cum invenit frigidum ad alias nuptias transisse, 8.

An si mulier ab eo frigido separata, alii nupserit, sit statim ac frigidus qui secundum injit matrim. separanda, a posteriori viro, 9.

An mulier illa possit petere ac reddere debitum, dum lis illa discutitur, 10.

An si mulier illa nondum nupserit, sit ei permittendum nubere: & si contra judicis præceptum nupserit, sit separanda, 11.

An in foro conscientiæ sint illi feminæ permittendæ nuptiæ, & si ad illas transeat, possit petere, ac reddere, 12.

Qualis probatio plena possit haberi consummationis matrimonii, aut copulæ fornicariæ, ut prius matr. dissoluto posteriori instaurandum sit, 13.

Solvuntur argumenta, 14.

Post n. 14. invenies alia summaria.

1 Quadrupliciter potest matrim. ratione impotentiæ dissolvi. Primo, ratione frigiditatis viri, ad quam reducitur omnis impotentia ejus absoluta naturalis, undecumque proveniat. Secundo ratione arctitudinis feminæ, quia, nempe, ita arcta est, ut a nemine cognosci valeat, vel saltem ab illo, cui nupserat. Tertio, ratione maleficii alterutrius conjugis. Quarto, in genere ratione impotentiæ, non allegata ejus causa. De his ergo modis seorsum differendum est, & ideo sex sunt quæstion. instituendæ. I. quando solvitur matrimon. ratione frigiditatis viri. II. quando ratione arctitudinis feminæ, aut absolutæ, aut respectu hujus. III. quando ratione maleficii. IV. quando in genere allegata est impotentia. V. quoties femina separata a priori matrim. sit illi restituenda, si adhuc ab eo viro cognosci nequeat? Ultima; quid dicendum sit, quando vir sic separatus jam ad religionem ordinesve sacros transierat?

2 Quæstio I. An matrim. ratione frigiditatis viri separatum, sit instaurandum, si postmodum vir ille frigidus ad alias nuptias transeat, aut fornicationem admittat? Præmittendum est, quanta debeat diligentia judex discutere, an impotentia proveniat ex frigiditate viri, arctitudine feminæ, an ex maleficio, ne perniciose erret dissolvens matrimon. validum: aut restaurans quod irritum erat. Cum diversimode judicium ferendum sit juxta diversitatem harum impotentiarum. Ut constabit ex dicendis tota hac disputatione.

3 Versatur autem difficultas hujus quæstionis circa intellectum *c. 1. & cap. Laudabilem, de frig. & malef. & c. 1. 33. q. 1.* quod desumptum est ex *Greg. Papa ad Venerium Calaritanum Episc. & cap. 2. ibid.* quod est ex *epist. ejusdem Greg.* in quibus textibus decernitur, dissolutum matrim. ratione frigiditatis viri, instaurandum esse, si postea contingat frigidum illum ad alias nuptias transire. Contra quorum textuum decisionem valde urget, quod ex posteriori matr. insufficienter præsumere videatur Ecclesia, virum illum minime esse frigidum, atque adeo priori uxori restituendum: inde enim non præsumitur copula, quæ viro frigido est impossibilis. Et quamvis posterior uxor concipiat, aut ex aspectu appareat corruptа, fortior est præsumptio pro sententia lata de prioris matr. dissolutione: cum ad eam ferendam præcesserint triennii experientia, juramenta ipsorum conjugum, ac septimæ manus propinquorum, atque utriusque conjugis aspectus. Quæ omnia ad illius dissolutionem desiderabantur. Et confir. quia potius videtur Pontifices debuisse decernere, posterius matrim. dissolvendum esse, nec prius instaurandum. Quod sit præsumptio juris & de jure, ex sententia lata manans, pro viri frigiditate: atque subinde pro utriusque matrim. nullitate. Secundo, quia omnes fatentur solum matrim. contractum non inducere præsumptionem contra viri frigiditatem priori sententia declaratam: sed si posterius matrimonium ille consummet: atque idem fatentur, si fornicarie quamcumque seminam cognoscat. Quia copula repugnat frigiditati. At non videtur posse in præxim deduci, ut ita certo constet, ut præponderet priori sententiæ tot probationibus munitæ. Quippe æperiri solum cum sola, ac in eodem lecto nudos, clausitа que januis, ex quibus copula præsumitur, ac probatur, juxta *cap. Litteris, de præsumpt.* non sufficienter probat copuri, comprobatæ, ac per sententiam declaratæ: liquidem ea præsumptio eliditur per res leviores, ut ratione proximitatis, *312. n. 7.* At multo vehementior est ad elidendam eam coitus præsumptionem, præsumptio frigiditatis viri præcedens. Nam viro frigido est impossibilis copula per naturam, conpateat, sed secreto in loco habeatur, ac ex solis præsumptionibus probanda sit: & nulla appareat tam urgens, ut priorem frigiditatis vincat, videtur frustranea horum textuum decisio, ac impossibilis ut in praxim deducatur. Tertio, quia contingere potest, ut femina illa a frigido separata, alii nupserit: & tunc injustum videtur, posteriores hos conjuges, bona fide Ecclesiæ auctoritate conjunctos, possessione sua spoliare, in favorem prioris matrim. adversus quod est præsumptio ex prioris sent. dissolutionis orta. Tandem, quia posset vir ille probare, se non omnino frigidum, & impotentem, sed respectu prioris uxoris esse.

4 Tota hujus quæst. difficultas eo pertinet, ut cognoscatur qualiter probanda sit copula viri ratione frigiditatis separati, cum posteriori uxore, vel fornicaria cum quacumque, ut probatio hæc vincat præsumptionem frigiditatis per sententiam declaratæ, ut vel sic restauretur prius matrim. Quippe constat solum posterius matrim. non esse sufficiens indicium deceptionis Ecclesiæ in priori sententia dissolvente matrim. ratione frigiditatis. Nam id contrahere non arguit contrahentem esse potentem. Præterea, quia est præsumptio pro sententia, qua vir ille frigidus declaratus est, & ob id prius matrim. dissolutum. Quare dum textus n præc relati ponderant posterius matrim. a frigido contractum, ut restauretur prius, intelligendi sunt, si constet posterius consummatum esse. Quia ex posteriori consummatione constat clare virum illum non fuisse frigidum, ac proinde Ecclesiam deceptam esse. Atque ita docent ex Jurisperitis, *Host. sum. tit. de frigid. & malef. §. Qualiter & quando, n. 10. vers. Et si quidem. Et cap. 1. n. 1. verb. Acceperis, de frig. & malef. Jo. And. cap. Laudabilem, n. 3. eo. t. & ibi Ant. ad fi. Alex. de Nevo, n. 4. Præpos. n. 2. notab. 3. Alberic. in suo diction. littera D. verb. Divortium, paulo post princ. Jo. de Friburgo in summa confessorum, l. 4. t. 16. q. 16. Astensis 2. p. sum. l. 8. t. 37. art. 1. paulo post princ. Supplem. summæ Pisanæ, verb. Divortium n. 3. & ibi Rosell. nu. 1. Silv. qu. 18. n. 21. Turrec. 33. qu. 1. in sum. n. 7. & art. 1. n. 9. in fine corp. Gaeta cap. Ad limina 30. q. 1. §. 4. 229. n. §32. Ant. Cucus l. 5. instit. majorum tit. 12. n. 264.* Et ex Theologis, *Sotus 4. d. 34. qu. un. col. penult. vers. Alter autem. Et ibi Durand. q. 2. n. 7. Ricard. 2. qu. 1. Supplem. Gabr. qu. un. art. 2. in coroll. primo, quod infert ex 1. proposit. Sotus qu. un. art. 4. col. 5. concl. 4. Celaia ibi qu. 1. post 2. concl. Borrilong. qu. un. art. 2. post 2. concl. Lud. Lopez 2. p. instruct. cap. 52. de matrim. col. 4 vers. Quarto dicitur. Vega 2. tom. summ. cap. 34. casu 107.* Quod si contra hoc opponatur, ex secundo matrim. indoci præsumptionem juris, & de jure fraudis, & odii: respondebo n. 13. fine.

5 Hinc deducitur, ob eamdem rationem restaurandum esse prius illud matrim. si feminam quamcumque cognoscat fornicarie vir ille ratione frigiditatis separatus. Cum jam constet falsam fuisse frigiditatem. Atque ita docent *Joan Andr. Ant. Alex. de Nevo, Præpos. Turrec. Supplem. Gabr. nu. præced. allegati. Monald. sum.* ubi de matrim. *tit. de impossibili. Thom. Sanchez de Matrim.* Tom. II. *tate cocundi quid sit. Abulens. cap. 19. Matt. q. 90. ad fi. corp. Ledesm. 2. p. 4. q. 60. art. 1. col. 9. vers. Circa illud autem. Palacios 4. d. 34. disp. 1. concl. 5. Barth. a Ledesf. de matr. dub. 48. fin.*

6 Prima ergo conclusio sit. Dissoluto matrim. ratione frigiditatis viri, si is ad aliud transeat, statim est posterius hoc matr. dissolvendum, absque alia probatione. Quod cum ille sit per Ecclesiæ sententiam declaratus frigidus, stat præsumptio ineptitudinis ad matrim. contra illum. Deinde, quia sive sit vere frigidus sive non, concluditur hoc posterius matr. esse nullum. Nam si vere frigidus sit, obstat valori matrim. frigiditas; si autem non sit frigidus, obstabit prius matrim. quod falsa frigiditatis probatione dissolutum est. Et ita docent *Jo. And. cap. Laudabilem, n. 8. de frig. & malef. & ibi Ant. n. 14. Præpositus n. ult. Alex. de Nevo n. 15. & 16.* Quod si tempore quo frigidus hic ad alias nuptias transit prior uxor objerat, adhuc statim separandus est a posteriori matrimonio, donec se potentem probet, & deceptam fuisse Ecclesiam. Quod sit interim præsumptio impotentiæ contra ipsum.

II. Conclusio. Ut restauretur prius frigidi matrimonium tanquam validum, nec sufficit nec desideratur frigidum ad alias nuptias transisse: sed legitime probandum est, eum posteriores nuptias consummasse, aut fornicatum fuisse. Constat ex dictis n. 4. & 5. & DD. ibi allegatis.

Hinc deducitur, non instaurandum esse prius illud matrim. donec legitime probetur posterioris consummatio, aut alia fornicatio. Quare judex statim ac noverit transitum frigidi ad secundas nuptias, debet ex officio eas dissolvere tanquam irritas: & discutere debet num eas consummarit, ut vel sic decernat an prius matrim. instaurandum sit. Juxta id quod sibi præscribitur *c. Laudabilem, de frig. & malef.* & aliis textib. n. 3. allegatis. Et constat, quia in iis textibus injungitur judici, ut frigido transeunte ad aliud matrim. prius instauret, ac frigidum cum priori uxore tanquam reos perjurii puniat. Ergo tenetur judex discutere an posterius matrim. a frigido consummatum sit. Nam nec eo nondum probato, potest prius instaurare: nec convincitur reos perjurii fuisse conjuges, affirmando cum juramento viri frigiditatem. Præterea, quia judicis est matrim. irrita dissolvere, & valida instaurare. Cum maximum animarum periculum vertatur, non declarato an validum fuerit prius matrim. Nam forte mulier a frigido separata ad alias nuptias transibit, vel jam transit: & illæ irritæ erunt, si priores valuerant.

9 Secundo deducitur, si uxor a frigido separata jam alii nupserat, nullam esse illi intentandam litem de valore posterioris sui matr. sed pacifice in eo relinquendam, donec legitime probatum sit frigidum consummasse posterius matr. aut fornicatum fuisse. Quod dum non probatur contrarium in pacifica sui matrim. possessione sit, favente sibi Ecclesiæ sententia.

10 Sed rogabis, an mulier illa a frigido separata, ac secundo nupta, possit in hoc eventu petere ac reddere? De redditione non est dubium: eo quod posterior vir sit in possessione. De petitione autem potest esse difficultas. Quod quamvis mulier bona fide nupserit, & justum superveniat dubium valoris matr. existimo non interdici sibi petitionem debiti. Quoniam non habet justam dubitandi rationem de sui matr. valore. Cum in illius favorem habeat Ecclesiæ sententiam: contra illud autem, solum viri factum transeuntis ad secundas nuptias, quo profitetur se non esse frigidum. At propter conjugis assertionem non præstatur sufficiens dubitandi ansa, ut teneatur alter conjux bona fide possidens dubitare, ac proinde abstinere a debiti petitione, ut dixi l. 2. d. 41. n. 52.) Eo vel maxime quod in priori judicio se frigidum jurejurando testatus est, accedenti juramento septimæ manus propinquorum, & triennalis cohabitationis experientia. Quæ præponderant contrariæ assertioni conjugis facto ipso denoratæ.

11 Tertio deducitur, si mulier illa nondum nupta sit, velitque nubere, denegandam esse sibi licentiam, donec discutiatur an maritus separatus ob frigiditatem consummarit cum posteriori uxore, ut sic instauretur prius matr. Ducor, quod judicis tunc sit, discutere an prius matr. instaurandum sit (ut probavi n. 8.) Extante ergo dubio hoc, liteque pendenti, non est concedenda licentia feminæ, alii nubendi: eo vel maxime, quod ad impediendam matr. multo minor probatio desideratur, quam ad initum dissolvendum (ut probavi lib. 1. tota disp. 71.) Quod si de facto nupserit orta jam lite, separanda est, donec lis decidatur. Juxta ea quæ dicemus n. 36. in simili casu. Cum jam possessio sibi non faveat, utpote quæ ob litem pendentem perturbata est.

12 Quarto deducitur, nec in foro conscientiæ permittendum esse huic feminæ alteri nubere, donec discutiatur an prius matr. instaurandum sit. Tum quia periculo exponit posteriorem virum, ut illusus maneat, si postea prius matrim. instauretur: & gravis sibi lis intentetur circa posterioris matrimonii valorem: nec possit sibi consulere ad aliud transeundo, donec omnino teminetur lis, an prius matr instaurandum sit. Tum etiam, quia cum non sit in possessione matrimonii, quod inire tentat, justam habeat rationem desistendi a matrimonio ineundo, donec veritas discutiatur. Quod de facto nubat, tanquam dubia fide contrahenti non suffragabitur possessio. Juxta dicta lib. 2. disp. 42. num. 2. & sequentibus. Quare ipsi non licebit petere, tenebitur tamen reddere. Juxta ibidem probata. Quod si uterque

mala fide contraxerit, ibidem late disputavimus quid dicendum sit.

13 Tandem videndum est, qualis probatio plena possit haberi consummationis posterioris matr. seu copulæ fornicariæ frigidi, ut vel sic instauretur prius matrim. Id enim improbabile esse suadent arg. n. 3. proposita. Sed dic, cum sententia matr. non transeat in rem judicatam (ut tota disp. seq. videbimus) con per eam non induci præsumptionem juris, & de jure, contra quam nulla probatio admittatur. Ut docet *Felin. c. Quoniam contra, n. 36. in vers. Item nota, de probat.* Præterea, ex posteriori matrim. inito a frigido jam non levis præsumptio dissolutionis prioris matr. ex odio prioris uxoris inducitur, & mendacii, dum se frigidum protestatur esse. Si enim frigidus esset, cum jam experientia norit semel dissolutum esse matr. non ita facile auderet ad aliud transire. Et quamvis præsumptio hæc non concludat priorem frigiditatis assertionem falsam fuisse, & hunc non esse frigidum: at aliis indiciis adjuta concludet, ut sic instauretur prius matr. Ut si accedat confessio utriusque conjugis de copula habita, & cum ipsa esset virgo (ut præsumitur) reperitur per aspectum corrupta: vel si conceperit, ac in membro viri nullus defectus frigiditatem denotans patet. Et copula fornicaria probabitur diversis feminis, cum quibus is frigidus fornicatus est, id testantibus, Cum testes oculati & quamvis sint singulares, & de propria turpitudine deponant, sufficiunt in re tam difficilis probationis: & in qua non possunt dari contestes ipsius copulæ, nec testes oculares possunt esse personæ aliæ, nisi cum quibus ea turpitudo admissa est (ut in simili dixi probari copulam, d. 93. n. 35.) Atque ita *Mascard. de prob. concl. 1365. n. 1.* probat in his, quæ occulte fiunt, ut in fornicatione, admitti testes alias inhabiles. Ex quibus omnibus infero intellectum ad *glos. c. v. Patet*, 33. *q.* 1. quam sequitur ibi *Turrecr. n.* 2. ubi ajunt separatione facta ratione frigiditatis prioris matrim. si frigidus ad secundum matrimonium transeat, esse præsumptionem juris, & de jure, contra quam non admittitur probatio dimissionis prioris uxoris ex odio. Et constat ex eo textu, ibi: *Si igitur vir aliam vult uxorem accipere, manifesta patet ratio, quia suggerente diabolo, odii fomite, exosam eam habuit.* Sed hæc doctrina intelligenda est, quando legitime constat consummatio hujus posterioris matrim. Solus enim contractus præsumptionem aliquam fraudis generat, at non concludentem; donec probetur consummatio. Juxta ea quæ diximus n. 4.

14 Ad arg. n. 3. proposita constat ex dictis n. præced. ubi explicuimus qualis probatio concludat posterioris matr. consummationem, vel copulam fornicariam: & ex priori sententia, utpote, quæ non transit in rem judicatam, non consurgere præsumptionem juris, & de jure, consurgere autem eam præsumptionem odii & fraudis in dissolutione prioris matr. quando posterioris consummatio probatur.

SUMMARIUM.

An si femina ratione arctitudinis separata, alii nubat, ab eoque cognoscatur, sit instaurandum prius matr. Refertur quædam opinio, num. 15.

Proponitur sententia Auctoris, 16.

An statim separandum sit posterius hoc arctæ matr. & instaurandum prius: & priori viro separato, qui aliam duxerat, interdicendum sit petere & reddere: vel si nondum duxerit, prohibenda sit ductio, 17.

Quid si arctitudo, ob quam prius matrimonium est dissolutum, sit tantum respectiva, 18.

Qualis probatio posterioris copulæ cum hac femina arcta, ratione arctitudinis separata, adhibenda sit, ut prius matrimonium instauretur posteriori dissoluto, 19.

Post n. 19. *invenies alia summaria.*

15 Quæstio II. An si femina ratione arctitudinis a priori matr. separata, alii nubat, ab eoque cognoscatur, sit instaurandum prius matrim. posteriori dissoluto? Difficultas hujus quæstionis pendet ex intellectu *c. Fraternitatis, de frig. & malef.* ubi textus de hac femina loquens, sic ait: *Sententiam divortii per errorem licet probabilem novimus esse prolatam. Cum pateat ex post facto, quod ipsa cognoscibilis erat illi, cujus simili commiscetur. Et ideo inter ipsam & primum virum dicemus matrim. extitisse. Quare inter eam & præfatum Gu. matrim. non esse censemus: eosque præcipimus ad invicem separari.* Difficultas ergo est, an quoties femina ratione arctitudinis separata a priori viro, cognoscitur ab alio copula conjugali aut fornicaria, sit restituenda priori marito: an potius sit attendendum, an uterque vir sit similis complexionis? Et quidem decisio hujus quæstionis pendet ex illa, quam discussimus disp. 93. an tunc temporis prius matrimonium censeatur validum, præsumatque Ecclesia id impedimentum esse temporale. Nam qui censent (quos retuli ea disp. 93. n. 11.) impedimentum esse temporale, ac subinde prius matr. fuisse validum a quocumque viro, sive simili sive dissimili, hanc illa postea cognoscatur, subinde dicunt prius matr. tanquam validum esse restaurandum: & sic uxorem hanc priori viro esse restituendam. Quorsum fundamenta ibi retuli. Atque idem censent quos ibi retuli n. 16. dicentes, qualitercumque reddatur apta femina priori viro, etiam cum mortis periculo, si illud evadat, valere prius matrim.

At juxta veriorem sent. quam disp. 93. n. 12. & seq. ample 15
xi sumus, nimirum, prius matr. irritum fuisse, quando absque mortis periculo vere non potuit aptari priori viro, nec per proprium usum, sed per usum viri longe potentioris: dicendum est, attendendum esse, an sit talis dissimilitudo inter utrumque virum: & tunc non esse instaurandum prius matr. secus si ea dissimilitudo non sit. Itaque resolutio hujus quæstionis pendet ex valore prioris matrimonii: quam late ibi discussimus. Quando enim est validum, instaurandum est, secus quando est irritum.

An vero femina hæc arcta, quæ alii nupsit, sit statim 17
separanda a matr. posteriori, & si forte vir prior aliam duxerit, separandus quoque sit, & interdicenda sint petitio ac redditio debiti: atque aliæ nuptiæ, si nondum prior ad altas transierat? Sic dicendum est. Si femina illa absolute & omnino arcta judicata sit respectu omnium, & ideo dissolutum est prius matrim. statim separandum est posterius matrimon. Quod cujuslibet matrim. incapax declarata sit; & ita sit contra ipsam præsumptio: juxta ea quæ diximus num. 6. de matrim. frigidi. Circa restaurationem autem prioris matrim. & interdictionem posterioris, ac redditionis & petitionis debiti, dicendum est prorsus quod dixi a num. 7. usque ad 13. quando separatur matrim. ratione frigiditatis. Cum eadem prorsus sit ratio: tam incapax enim est femina omnino arcta matr. cujusvis, quam vir omnino frigidus.

Quod si impotentia, seu arctitudo feminæ, non absoluta, 18
sed respectiva judicata est, non separanda est a posteriori matrim. nec aliquæ sunt partes judicis ad perturbandum hoc posterius conjugium, litemve intentandam. Cum legitime nubere potuerit: non enim sibi interdici potuit aliud matrim. juxta dicta disp. 93. n. fin. Quare nisi constet virum hunc, qui illam cognovit, esse similem priori, vel absque vitæ periculo potuisse aptari, in quibus casibus prius matrim. fuit validum, ac constat deceptam fuisse Ecclesiam, juxta ea quæ dixi disp. 93. num. 12. & 18. cum seq. non separandum erit posterius matrimonium, ac instaurandum prius. Quod si aliquis adiret judicem denuncians prius matrim. validum fuisse, causamque allegaret: non perturbandum est posterius matrim. donec id ex probatis constet. Cum justa ac legitima possessio sit pro illo matrim. Quare judex tunc summariam informationem recipiet, & si nil consideratione dignum repererit, rejiciet denunciantem: si vero probationes reperierit, citabit partes, & data eis processus copia prosequetur judicium: nec interim donec lis terminetur, eos separabit a posteriori matr. pro quo est possessio.

Tandem rogabis, qualis probatio posterioris copulæ cum 19
femina judicata omnino arcta, & ob id a priori matr. separata, adhibenda sit, ut prius matr. instauretur? Respond. idem censendum esse, quod num. 13. diximus de matr. frigiditatis viri causa dissoluto. Et in hoc eventu ad restaurandum prius matr. id quoque constare potest ex inspectione utriusque viri, an sint similes ætate & robore naturali; & ex inspectione feminæ, ac testimonio medicorum judicantium, an potuerit reddi apta priori viro, absque mortis periculo.

SUMMARIUM.

An dissoluto matrim. ratione maleficii, si postea maleficiatus ad aliud transeat matr. aut fornicetur, sit prius matr. instaurandum. Refertur duplex opinio, n. 20. & 21.

Separato matrim. ratione maleficii, conceditur utrique conjugi licentia ad aliud transeundi: & eo inito non est prius restaurandum, 22.

Quid, si sententia dissolutionis prioris matr. non sit legitime lata, 23.

Quid, si maleficium sit generale respectu omnium, 24.

Quid, si feminam, respectu cujus erat maleficium, vir ille postea cognoscat, 25.

Satisfit argumentis, 26.

Post n. 26. *invenies alia summaria.*

Quæstio III. An dissoluto matr. ratione maleficii, aut utriusque aut alterutrius conjugis, si maleficiatus aliud ineat, aut fornicetur, sit restaurandum prius? Difficultas hujus quæstionis versatur circa intelligentiam textus *c. fin. 33. q.* 1. qui ex Hincmaro Remensi Archiepiscopo, ubi de maleficiatis loquens, sic ait: *Quod si forte sanari non potuerint, separari valebunt, sed postquam alias nuptias expetierint illis in carne viventibus, si disjuncti fuerant, prioribus quos reliquerant, etiamsi possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt.* Ubi manifeste sentit textus, separatum ratione maleficii, si ad alias nuptias transierit, non restituendum esse priori conjugio, sed in posteriori relinquendum, quamvis potentia concumbendi cessante maleficio sit ei restituta. Quæ decisioni textus *cap. Fraternitatis, de frig. & malef.* videntur repugnare. Nam ibi traditur regula generalis, docens impedimentum impotentiæ non esse perpetuum, nec dirimere matrimonium quoties per opus hamanum absque vitæ periculo removeri potest. Cum ergo experientia doceat, jam cessasse maleficium, ac impotentiam ex illo consurgentem, & hoc absque divino miraculo, quod non præsumitur: juxta decisionem *d. c. Fraternitatis*, constabit impotentiam non fuisse perpetuam, ac subinde

inde prius matr. fuisse validum: & per falsam perpetuitatis maleficii existimationem dissolutum esse. Ergo restaurandum erit contra expressam decisionem *d. c. fi.* Secundo, quia separatione facta ratione frigiditatis viri, si is alias nuptias consummet, fornicetur, vel instauratur prius matr. juxta *c.* 1. & *c. Laudabilem, de frig. & malef.* Ergo idem sentiendum est, quando ratione maleficii dissolutum erat. Cum in utroque eventu constet ex copula subsecuta, Ecclesiæ sententiam falsa perpetuitatis impedimenti existimatione innixam fuisse. Et ideo *glossa eo. c. fi. verb. Nequibunt, in priori solutione*, ait auctorem ejus textus potius ignarum dicendum esse, nec ejus decisionem esse veram. Et *Gratianus, ibi, in fine*, notat eam decisionem videri repugnare decisioni, *c. Laudabilem, de frig. & malef.* Atque ita decisionem ejus textus servandam non esse, sed instaurandum prius matr. tradunt *Innoc. c.* 1. *nu.* 2. & *c. Laudabilem, n. unico ad finem, verb. Separentur, de frig. Alex. Carrer. l.* 5. *de sponsalibus, c.* 18.

21 Alii dicunt, si legitime facta sit separatio prioris matrim. nempe, præmissis cohabitatione triennali, juramentis conjugum, & septimæ manus propinquorum, id non restaurari cessante postea maleficio: secus si ob aliud impedimentum facta esset prioris matrim. separatio. Idque probant ex *d. c. fi.* 33. *q.* 1. Sic *Brun. de sponf. concl.* 28. *limit.* 6. *n.* 25. Idem tenet quando jam alter ex separatis ratione maleficii ad aliud matr. transierat, *Suppl. Pisanæ, verb. Impedimentum, imped.* 15. *nu. penult. Gaeta c. Ad limina* 30. *q.* 1. §. 4. *q.* 245. *n.* 540. *Enr. l.* 12. *de matr. c.* 8. *n.* 2. & *n.* 3. *in comm. lit. L.* ubi idem dicit, si jam vir sic separatus legitime, ad alium statum transierat, ut quia jam sacris initiatus erat. Et reddit rationem, quod in his eventibus prius matr. saltem jure Ecclesiastico erat irritum, per *d. c. fi.* Et favet expresse *glossa final. eo. c. fi. in ult. solut.* dum explicat eam textum, in quantum significat reddita potentia non restaurari prius matrim. ut intelligatur, quando post triennium reddita est.

22 His tamen non obstantibus dicendum est, textum *d. c. fi.* 33. *q.* 1. vim habere quoad hoc, nec esse correctum jure aliquo: ac proinde ejus decisionem servandam esse, sano modo intellectam. Quamvis enim is textus non sit ex aliquo Pontifice aut Concilio generali desumptus, sed ex Archiepiscopo, ac proinde ex hac parte vi canonici decreti destituatur, at communi Ecclesiæ usu & approbatione receptus est quoad hoc, & ideo vim decisionis can. habet. Quare juxta eum textum tenendum est, dissolutione matrimonii facta legitime per Ecclesiam ratione maleficii, sive alterius, sive utriusque conjugis, concedendam esse utrique conjugi licentiam ad alias nuptias transeundi: ac proinde eis ineuntibus aliud matr. id-Quod id interfit inter frigidum & maleficiatum, ut frigidus sit impotens erga omnes: quare si ab initio matr. separetur, quoties aliud consummarit, aut fornicatus fuerit, restituendus est prioribus nuptiis: eo quod manifeste tunc constat eum non fuisse frigidum, atque ita Ecclesiam deceptam. At maleficiatus est regulariter impotens respectu unius vel alterius tantum (ut probavi disp. 94. nu. 4.) quare potest legitimo matr. jungi cum alia persona, respectu cujus non est impotens ratione maleficii: & ideo ex hoc matr. inito & consummato non probatur potentia respectu prioris conjugis atque Ecclesiæ deceptio. Quare prius matrim. restaurandum non est. Atque ita docent ex Jurisperitis, *gloss. c.* 1. *verb. Reparare*: & *c. Laudab. verb. Separentur*, & *verb. Redire* & *c. fi. verb. Cognoscendi, de frig. & malef. Ant. eo. c.* 1. *n.* 17. *Abbas ibi in fine. Alex. de Nevo, n.* 10. *Præpos. n. ult. vers. in fi. glos. Idem Ant. c. Fraternitatis, n.* 20. *de frig. & ibi Abb. n.* 13. *Præpos. n.* 12. *fi. Enr. n.* 12. & *ibi Alex. de Nevo* 8. *Quamvis, art.* 6. *fi. Goffred. sum. t. de frig. n.* 3. & 8. *Jo. And. tract. de matr. n.* 16. *Alberic. in suo dict. lit. I. verb. Impedimentum, imped.* 15. *ad fi. Astensis* 2. *p. sum. l.* 8. *tit.* 29. *art. un. q.* 2. *Monald. sum.* ubi de matr. *t. Qualiter & quando fiat divortium propter impedimentum coeundi, col.* 1. *vers. Item frid. Rainerius* 2. *p sum. tract. de matr. c.* 27. *fi. Turrec. c. fi.* 33. *q.* 1. *a.* 2. *n.* 2. *in fi. corp. Angel. verb. Matrimon.* 3. *imped.* 16. *n.* 12. *Silv. verb. Matrim.* 8. *q.* 16. *dicto* 8. *Armill. verb. Matrim. n.* 40. *Tabien. verb. Impedimentum imped.* 12. *q.* 7. *n.* 8. *Lex reg.* 5. *fi. t.* 8. *p.* 4. & *lex fi. infi. eo. t.* & *p.* & *ibi Greg. Lopez v. Tornar. Decisio capellæ Thol.* 381. *dub.* 1. *nu.* 1. *Franci. Marc. decis. Parlamenti Delphinalis* 677. *n.* 14. *Hugolin. de matr. cap.* 19. *n.* 1. Et ex Theologis *D. Th.* 4. *dist.* 35. *q. un. a.* 3. *corp.* & *ibi Albert. Mag. a.* 10. *Sot q. un. D. Bon. ibi in expos. lit. n.* 7. *Durand. q.* 2. *num.* 8. *Ricard. a.* 3. *q.* 1. *Palud. q.* 2. *a.* 3. *concl.* 2. *n.* 17. *Supplem. Gabr. q. un. art.* 2. *concl.* 6. *Bassol. q. un. a.* 1. *Nicol. de Orbellis q un. Scot. q. un. a.* 3. *con. c.* & *ad fi. corp. Borril. q. un. a.* 2. *Palacios disp.* 1. *concl.* 5. *Ovand. disp. un. propos.* 6. *Celaja* 2. *paulo post prin. D. Ant.* 3. *p.* 1. *t.* 1. *c.* 12. §. 3. *Abul. c.* 19. *Matt. q.* 90. *ad fi. corp. Petr. de Soto lect.* 5. *de matr. pag.* 2. *vers. Dubitatur, Led.* 2. *p.* 4. *q.* 60. *a.* 2. *col.* 2. *vers. Sed an si post factam. Viguerius l instit. c.* 19. §. 6. *vers.* 9. *Impedimento* 21. *Veracruz* 1. *p Speculi, a.* 40. *fin. Angl. Florib.* 1. *par.* ubi de matr. *q.* 8. *a.* 2. *dub.* 1. *Et post dubium* 2. *difficul. un. Pet. de Ledesf. de matrim. q.* 58. *a.* 2. *paulo ante* 1. *dub. Bart. a Led. de matr. dub.* 49. *concl.* 3. *Man.* 1. *tom. sum.* 2. *edit. c.* 235. *concl* 3. *n.* 3. *Toledo l.* 7. *sum. cap.* 12. *fi. Philiar. de offic. Sacerd. to.* 1. *p.* 2. *l.* 2. *cap.* 10. *Enrig. l.* 12. *de matr. c.* 8. *n.* 2. *Vega* 2. *to. sum. c.* 34. *casu* 108. *Lud. Lop.* 2. *p. instr.* ubi de matr. *c.* 52. *col. pen. Cannedo sum. Sacram.* ubi de matr. *c.* 5. *n.* 36.

23 Hoc tamen temperandum est primo, quando legitime lata est de separatione matrimonii sententia. Ut laplo triennio experientiæ, & adhibitis legitimis probationibus, quas jus ad dicti matr. dissolutionem petit (de quibus est inferius disputandum) Si enim non legitime dissolutum sit, debet instaurari, ut error sententiæ dissolutionis reparetur: donec adhibeantur omnia requisita ad dissolutionem. Sic *Greg. Lop. l. fi. t.* 8 *p.* 4. *verb. Tornar, Enriq. l.* 12. *de matr. c.* 8. *n.* 2. & *in comm. litt. T.* & *nu.* 3. *in comment. lit. L.* Nec aliquis hoc negabit, & ita *Navar. l.* 4. *cons. utraque editione, t. De frig. toto cons.* 1. judicavit instaurandum matr. quod non sit dissolutum præmissis his.

Secundo temperandum est, ut intelligatur quando malefi- 24
cium est particulare respectu unius, aut alterius tantum (ut regulariter contingit) Si enim constaret maleficium esse generale respectu omnium, tunc si maleficiatus dissoluto prioris matr. per Ecclesiam, ad aliud transiret, idque consummaret, separandus esset, & instaurandum prius matr. Quod de hujusmodi maleficiato eadem sit ratio ac de frigido: cum utrique impotens ad omnes præsumatur. Quare experientia ex copula desumpta docente cessasse impotentiam illam ex maleficio ortam, & ita eam non fuisse perpetuam, constat Ecclesiæ sententiam innixam fuisse falsa præsumptione perpetuitatis impotentiæ, quare instaurandum erit prius matrim. tanquam validum. Sic tradunt *D. Th* 4. *d.* 34. *in fine, in expos. lit. Magistri D. Bon. ibi in ea expos. lit n.* 7. & *a.* 2. *q.* 2. *n.* 24. *Palud. ibi q.* 2. *a.* 3. *concl* 2. *n.* 17. *Bassol. q. un. a.* 1. *Nicol. de Orbell. q. un. Sot. q. un. a.* 3. *ad fi. corp. v. At vero, Polac. disp.* 1. *concl.* 5. *D. Ant.* 3. *p.* 1. *t.* 1. *c.* 12. §. 3. *Bart. a Ledesf. de matr. dub.* 49. *concl.* 3. *Enriq. l.* 12. *de matr. c.* 8. *n.* 2. *Vega* 2 *t. sum c.* 34. *casu* 108. *Pet. de Ledesf. de matr. q.* 58. *a.* 2. *dub.* 1. *Lud. Lop.* 2. *p. instr.* ubi de matr. *c.* 52. *col. pen.* Et ex Jurisperit. *Alberic. Angelus, Sil. Astens. n.* 22. *allegati, Joan. de Friburgo in sum. confess. l.* 4. *t.* 16. *q.* 15. *Greg. Lop. l. fi. verb. Tornar, t.* 8. *p.* 4. Atque idem dicendum est, si maleficiatus ille respectu omnium fornicaretur cum aliqua: instaurandum enim esset prius matrim. Quod copula illa declarari cessasse maleficium, & impotentiam fuisse temporalem. Sicut nu. 5. diximus de frigido fornicanti. Sed petes, qualiter cognosci possit maleficium esse universale? Respondent bene *Sot. Bart. a Ledesm.* & *Lud. Lop. prox. allegati*, difficile esse cognitu, at posse id deprehendi, quando plurimas feminas maleficiatus ille tentavit cognoscere, & nullam potuit: cum tamen eum non esse frigidum constet.

Tandem temperandum est, nisi vir ille eamdem uxorem 25
cum qua maleficiatus erat, & a qua ratione maleficii disjunctus fuerat, fornicarie cognoscat: tunc enim instaurandum est matr. cum illa. Quod experientia ipsa docuerit, Ecclesiam dissolventem matrim. deceptam esse, dum impotentiam illam ex maleficio ortam judicavit perpetuam. Atque ita docent ex Jurisperitis, *Gl. c. fi. verb. Concumbendi* 33. *q.* 1. & *c. Fraternitatis, verb. Divinum, in fi. de frig.* & *malef.* & *ibi Ant. n.* 20. *Præp. n.* 12. *fi. Astensis* 2. *p. sum. l.* 8. *t.* 29. *a. un. q.* 6. *Silv. verb. Matrim.* 8. *q.* 16. *dicto* 8. *Greg. Lop. l. fi. verb. Tornar, t.* 8. *p.* 4. Et ex Theologis, *Durand. q. d* 34. *q.* 2. *n.* 8. & *ibi Ricard. a.* 3. *q.* 2. *corp.* & *ad* 1. *Sot. Bart. a Led. Pet. de Ledesf. Vega, Lud. Lop. n. præcellegati, Martin. de Ledesf. Ovandus, Manuel, Cannedo, quos n.* 22. *retuli*. Atque id verissimum est, contra DD. nu. 11. relatos, quamvis maleficiatus ille aut uterque jam ad aliud transiisset matrim. Cum enim ex ea copula constet maleficium non fuisse perpetuum, non est cur non sit reparandum prius matr. quod revera validum fuerat, & ex falsa æstimatione perpetuitatis impedimenti dissolutum, dirempto posteriori, quod vere irritum est. Et caret fundamento dicere, in hoc eventu prius illud matr. esse jure Ecclesiastico irritum: per *c. fi.* 33. *q.* 1. nam verba in eo posita sunt alio modo intelligenda: ut n. seq. explicabimus. Et ita docent *Ricard. Astensis, Sil. Martin. a Led. Greg. Lop. proxime allegati.*

Ad arg. n. 20. & 21. proposita ex *c. fi. q.* 33. *q.* 1. partim constat 26
ex dictis n. 22. Nam quatenus ibi decidit, posse maleficiato, quando maleficium non est universale, sed particulare, dissoluto priori matr. concedi licentiam transeundi ad aliud, nec eo consummato, instaurandum esse prius matr. jam ibi ostendimus id non adversari decisioni aliorum textuum, qui de frigidis loquuntur: ac constituimus differentiam inter frigidos & maleficiatos. At gravior est difficultas quoad aliam partem, in qua textus ille decidit, reddita illa concumbendi potentia non restaurari prius matr. *Ricard. Astensis, Silv. Martin. a Ledesf. n. præc. allegati.* Sentiunt cum DD. quos n. 20. retuli, non esse veram, quoad hoc, decisionem illius Archiepiscopi, ex quo is textus desumptus est, Sed melius *Glos. eo. c. fi. verb. Concumbendi, Sot. Bart. a Led. n. præcedi. allegati*, intelligunt eum textum, quando exiistit potentia concumbendi cum aliis, secus inter ipsosmet. Quia cum maleficium illud sit particulare, & subinde non impediat respectu omnium, ex potentia concumbendi cum aliis non arguitur potentia copulæ cum illa ad quam est maleficium. Secus de copula cum illa tantum. Quia textus ait: *Si possibilitas concumbendi eis reddita sit, reconciliari nequibunt.* At quando maleficiatus solum eo quod ad concumbendum cum feminis aliis numquam fuerat ablata. Dic eam particulam, *reddita*, non sumi proprie, quasi importet potentiam semel ablatam restitutam fuisse. Sed sensus est, cognita per experientiam potentia concumbendi cum aliis, non instaurandum est prius matrim. Quia maleficium non impedit regulariter respectu omnium.

SUMMARIUM.

An quando conjugis impotentia in genere allegata est, & dissolutum matr. sit instaurandum, si conjux impotens ad alias nuptias transeat? 27.
Quid teneatur tunc discutere judex, ad judicandum, utrum ex iis conjugiis valeat? 28.
An judex ratione impotentiæ dissolvens matrim. teneatur speciem impotentiæ explicare? 29.
An quoties instauratio priori matrimonii facienda est, sit differenda, donec uterque conjux pœnitentiam agat de perjurio, dum in separationem jurarunt impotentiam? 30.
Post num. 30. invenies alia summaria.

27 QUæstio IV. An si mulier allegarit virum impotentem, nulla specialis impotentiæ causa expressa (quod posse dicam disp. 108. n. 20.) & vir post separationem matrimonii ad aliud transierit, sit instaurandum prius matrimonium? *gl. c. Requissti, verb. Acceperit* 33. *q.* 1. quam sequitur *Astensis*, 2. *p. sum. lib.* 8. *t.* 37. *art.* 1. *q.* 2. docet non instaurandum esse statim prius matrim. Quod femina totum suum jus videatur in judicium deduxisse, unde idem esset, ac si ob frigiditatem vel maleficium esset dissolutum matr. At quando ob maleficium dissolvitur, non instauratur matr. ex hoc quod maleficiatus ad aliud transeat (ut n. 22. probavimus) Et hoc placet in eo sensu, ut non statim ac consummatur posterius matrim. a viro illo, sit prius instaurandum, donec causa impotentiæ discutiatur.

28 Tenetur tamen judex inquirere causam impotentiæ viri, ob quam dissolutum est prius matr. ut inde discernat utrum ex iis matrim. valeat. Nam diversimode judicium feret, si fuit frigiditas, aut impotentia solum respectiva, aut maleficium: juxta tradita tota hac disp. Quod si judex qui dissolutionis prioris matrim. sententiam tulit, causam non expressit impotentiæ, erit a præsenti judice consideranda ex probatis in priori processu: & ex causis quas testes matronæ, & medici reddidere, quod si nec ex eis constet, ipse denuo inquiret. Et cum mulier illa legitime nupserit, & sit professio pro ejus matrimonio, non est contra id matr. aliquid intentandum, nec separandum, donec constet prius validum fuisse, & instaurandum. At separandum est posterius impotentis matrim. utpote contra quod est præsumptio ratione impotentiæ, donec causa discutiatur.

29 Hinc deducitur, quamvis pars non teneatur allegare causam impotentiæ, sed satis sit, si impotentiam in genere alleget, judicem tamen teneri eam explicare in sua sententia, & explicite discutere. Quia judicis est, considerare an impotenti debeat perpetuo interdicere matrim. ut si sit omnino frigidus, aut mulier omnino arcta: an solum cum ea femina aut similibus, eo quod sit impotentia solum respectiva, aut cum sola illa: eo quod sit cum illa maleficiatus: item an instaurandum sit prius matr. si impotens aliud consummarit, aut fornicatus fuerit. Quæ præstare nequit, non cognita impotentiæ specie. Et licet judex non teneatur in sententia exprimere causam, *c. Sicut, cap. Cum Bertoldus, de re jud.* at tenetur, quando ex diversitate causæ varii consurgunt effectus, ut probat *Socin. senior, l. Si ate, n.* 3. *ff. de except. rei jud.*

30 Tandem rogabis, an quoties instauratio prioris matr. facienda est, sit differenda donec uterque conjux pœnitentiam agat de perjurio commisso, dum in separatione impotentiam jurarunt? Id enim prærequiri suadet textus, *c. Laudabilem, de frig. in fi.* ibi: *Et peracta pœnitentia cogatur ad priora omnibus redire.* Quod idem præcipitur *c. Remissti* 33. *q.* 1. Sed bene *Turrecr. eo c. Requissti, in fine*, ait satis esse, si incepta pœnitentia sit. Imo ego credo satis esse, illi injunctam fuisse. Ea enim mens textus videtur ut judex declarans prius matr. validum fuisse ac instaurandum injungat simul perjurii pœnitentiam conjugibus. Nec videtur mens textus, ut instauratio illa matrim. prioris differatur cum animarum utriusque conjugis jactura, eo quod illi non inceperint implere pœnitentiam: aut quod gravem judicarint, aut ab ea appellaverint.

SUMMARIUM.

Quoties femina restituenda sit priori viro, a quo tanquam arcta est separata, ut experiatur, an sit potens ad illam? Refertur triplex sent. n. 31. 32. 33.
Proponitur sententia Auctoris, 34.
Quid, quando ratione maleficii generalis, aut frigiditatis, aut impotentiæ respective separatio facta est, & adhibitis medicaminibus non potest vir feminam sibi restituam nosse? 35.
An durante triennio experientiæ priori viro concedendo ad experiendum an possit feminam cognoscere, sit interdicendum posteriori viro, cui illa, nupserat, transire ad alias nuptias & si transeat sit separandus, 36.
Post n. 36. *invenies cetera summaria, quæ desideranturr.*

31 QUæstio V. Quoties femina a viro separata, quod ab eo cognosci nequit, & ei restituta propter deceptionem circa impotentiam deprehensam, sit illi restituenda, si ab eo adhuc nequeat cognosci: *Quidam Joan. Doctor antiquus* (ut refert *Gl. c. Fraternitatis, verb. Fornicatio, in fine, de frig. & malef.* censuit in infinitum hanc restitutionem faciendam esse. Quare licet semel & iterum, & sic in infinitum, separetur a priori viro, si postea cognoscatur ab alio, erit restituenda priori. Quia quoties femina illa ratione arctitudinis separata cognoscitur ab alio, præsumit Ecclesia falsam fuisse arctitudinis allegationem, ac proinde potuisse per frequentiorem usum a priori viro cognosci.

32 *Tancredus*, vero, *ab eadem Gl. allegatus*, censuit restitutionem hanc usque ad tertiam vicem faciendam tantum. Quod absurda appareat restitutio in infinitum multiplicata: & ideo aliqua moralis regula prudentiæ consentanea sumenda sit ex qua cognoscatur perpetua arctitudo feminæ respectu hujus viri. Nulla autem ita prudens videtur, quam usque ad tertiam vicem restitutionem fieri. Et hanc sententiam sequuntur *eadem Gloss. ibi, & Monald. sum. tract. de matrim. tit. De impossibilitate coeundi quid sit.*

Alii dicunt restitutionem faciendam esse, dum ex inspectione dubitatur, an possit femina illa a priori viro cognosci. Quod contingit, quando non est dissimilitudo membrorum, & roboris utriusque viri. Sic *Innoc. cap. Fraternitatis, n. 6. verb. Dubitabilis, de frigid. & malef.* 33

Sed dicendum est semen tantum restituendam priori viro, 34 & cum eo remansuram triennio, & si eo tempore cognoscatur, firmum manere prius matrim. si autem eo triennio cognosci nequeat ab illo, præsumi saltem eum virum maleficiatum respectu illius, ac impotentem ad illam, ac proinde in perpetuum declarandum esse irritum prius illud matrimonium: ac reddendam posteriori viro, cui nupserat, feminam illam. Quia *cap. Laudabilem, de frig.* triennium datur ad experiendam impotentiam, & eo elapso judicatur perpetua. Cum ergo in hoc eventu consurgat ex post facto dubium impotentiæ, sufficiet triennium experientiæ, ut victo dubio veritas pareat. Et ita sentiunt *Host. sum. cap. de frig. & malef. §. Qualiter & quando, nu.* 13. *ad fi. & cap. Fraternitatis, n.* 11. *eo. t. & ibi Joan. And. n.* 28. *Ant. n.* 32. *Abb. nu.* 20. *Anchar. n.* 16. *vers. secundo quæro, Præpos. n.* 18. *vers. In eadem Gloss. verb. Fornicario, Henr. n.* 14. *Astens.* 2. *p. sum. l.* 8. *tit.* 27. *art. un. qu.* 3. *Joan. de Friburgo sum. conf. l.* 4. *§* 16. *quæst.* 5. *Alber. in suo diction. lit. I. v. Imped. imped.* 15. *Brunel. de sponf. concl.* 28. *limit.* 6. *n.* 25. *Turrec.* 33. *qu.* 1. *in sum. art.* 3. *n.* 16. *Supplem. Pisanæ, verb. Imped. imped.* 15. *n.* 12. *& ibi Rosella imped.* 15. *n.* 13. *Gaeta repet. cap. Ad limina* 30. *qu.* 1. *§.* 4. *quæst.* 231. *n.* 534. *Ant. Cuc. l.* 5. *instit. major. tit.* 12. *num.* 262. Qualiter sit computandum triennium, & an in senibus deideretur, est specialiter dicendum infra disp. 108. n. 21. & tota disp. 110 & 111.

Atque idem dicendum est quando ratione frigiditatis viri, 35 aut maleficii existimati alterutrius conjugis, generalis respectu omnium, separatum est matrimon. & postea experientia compertum est, eum virum aliud iniisse ac consummasse matrim. aut fornicatum esse, in quibus casibus prius matrim. instaurandum diximus: si enim eo instaurato, & reddita priori uxore huic frigido, vel maleficiato, non potuerit triennio illam cognoscere, separabitur iterum matrim. absque restitutionis spe. Quippe transacto illo, constabit saltem maleficium respectu illius, aut impotentia frigiditatis non absolutæ, sed respectivæ ad illam. Atque idem dicendum est, quando judicarunt medici, per incisionem aut medicamina posse mulierem reddi aptam viro, & ea adhibita sunt: tunc enim si transacto postea triennio, hæc mulier viro restituta non potuerit ab eo cognosci, censebitur impotentia respectu hujus perpetua, & in perpetuum separabitur matrimonium. Quia eadem prorsus militat ratio in his casibus, & in casu n. præc. relato, quem communiter DD. approbant. Quod cum in omnibus his eventibus credatur impedimentum cessasse, & Ecclesiam deceptam esse circa impedimenti perpetuitatem, atque ita probabile sit dubium de hoc, nulla alia melior regula præscribi potest ad veritatem indagandam: quam triennium experientiæ concessum in dubio hujus impotentiæ, *cap. Laudabilem, de frigid. & malef.*

Hinc deducitur, durante eo triennio, quo femina cum 36 priori viro commorari debet, ad experiendum num prius matr. fuerit illegitime dissolutum, sitque tanquam validum instaurandum, interdicendum esse posteriori viro, cui femina illa nupserit, ne aliam ducat: quod si contra interdictum duxerit, separandum ab hac uxore, donec eo triennio constet, an femina priori viro restituta potuerit ab eo cognosci: statim enim, ac ab eo cognita fuerit, liquet prius matrim. fuisse validum, ac per errorem dissolutum esse, ac proinde instaurabitur dissoluto posteriori matrim. illius feminæ cum secundo viro: quare judicabitur etiam validum aliud conjugium, quod hic secundus vir contra Ecclesiæ interdictum inierat. Quod si tr ennio transacto non potuerit cognosci a priori viro, cui restituta est, reddetur posteriori viro, ac declarabitur prius matr. irritum fuisse, & posterius validum: atque dissolvetur aliud, quod hic secundus vir contraxerat. Sic tradunt *Host. Jo: Andr. Ant. Anchar. Præpos. Henric. num.* 34. *allegati.*

SUMMARIUM.

Quid faciendum, quando invento errore dissolutionis prioris matr. alter conjux est jam professus, aut vult profiteri, etiamsi inter separationem immissum esset semen intra vas feminæ absque corruptione. Et an reputetur validum, quando vir nequit intra seminare sed cauja matrix attraxit, 37.
An si conjux in sæculo relictus transisset ad aliud matr. hoc posterius sit dissolvendum, existenti conjuge priori professo, 38.
Quid si vir ratione hujus falsæ impotentiæ separatus, sit jam in sacris & an uxor separatim vivere volens teneatur promittere castitatem, 39.
An vir hic sacris initiatus, restitutus uxori, possit petere & reddere, 40.

37 QUæstio ultima. Qualis restitutio facienda sit: quando tempore, quo inventur deceptio Ecclesiæ circa dissolutionis matrim. sententiam, est jam alter conjux professus, aut sacris initiatus? Et quidem si alteruter conjux sit jam professus, aut profiteri velit, manifestum est apud omnes, nullam restitutionem faciendam. Quod jam prius matr. quod consummatum non erat, dissolutum sit per professionem, aut per illam dissolvi possit *c. Ex publico, de conv. coniug.* Atque ita in hoc eventu decidit, *c. Fratern. de frig. & malef.* & docent omnes allegandi cum *glos. ib. v. Remaneat.* Est tamen maxime attendendum, an virgo illa, quam Ecclesia arctam judicavit, & nunc experientia inventur apta priori viro, salva integritate receperit semen illius prioris intra vas, quacumque arte, aut matrice attrahente: tunc enim cum consummatum jam fuerit, minime dissolvetur professione. Quod bene advertit *Enriqu. l.* 12. *de matr. c.* 7. *in comm. pen.* Quod si revera femina ita arcta sit, aut vir ita debilis aut calidus, ut non possit cum femina hac coire, ut semen intra vas emittat, sed foras fundat: in quo casu quando hoc judicatur perpetuum & immedicabile impedimentum, diximus disp. 92. n. 7. & seqq. matr. esse nullum, mihi persuadeo (quamvis in nullo auctore invenerim) adhuc esse vere irritum, ac proinde non consummari, licet arte aliqua absque viri penetratione sic receptum semen intra vas, aut per matricis attractionem. Quia valor matrim. non potest pendere ex casu raro ac fortuito. Deinde, quia verificatur virum illum esse impotentem ad seminandum intra vas. Et alias numquam hæc impotentia posset dirimere matr. contra DD. ibi allegatos. Quippe semper potest semen illud, saltem vase aliquo vitreo receptum, intra vas feminæum immitti. Casu autem quo professione non dirimitur hoc matr. dicendum erit de hoc professo idem, quod, de constituto in sacris dicemus n. 39. & 40.

38 Et si conjux relictus in sæculo ad aliud transisset matr. advertendum maxime est, an matrimonium inierit ante, an post alterius professionem: si enim post professionem, valebit, quamvis constet postea impotentiæ falsitas, ac subinde valor prioris matr. Secus si ante professionem: tunc enim hoc posterius matrim. erit irritum, nisi altero jam professo, perficiatur novo consensu, cognita ejus nullitate. Ratio est clara, quod in priori eventu primum matr. quod vere validum fuit, dissolutum sit professione, & ita obstare nequit valori secundi matr. at in posteriori, cum dissolutum non fuerit, impedivit valorem secundi matrimon. Quod optime animadvertit *Petr. de Ledesma, de matr. q.* 58. *a.* 2. *dub.* 1. *concl.* 7.

39 Quando autem uxore manente in sæculo vir jam sacris set initiatus, fatentur omnes detecto errore sententiæ, quæ prius matr. dissolvit, virum restituendum esse uxori repetenti: quia matr. non est dissolutum: Sic tradunt *Alberic. in suo dict. lit. D. verb. Divortium: Astens. 2. p. sum. l.* 8. *t.* 29. *a. un. q.* 6. *Supplem. Pisanæ, verb. Divortium n.* 7. *& ibi Rosella n.* 6. *Silvest. q.* 21 *n.* 24. *Enriq. d.* 12. *de matr. c.* 8. *n.* 3. *Petr. de Ledes. de matr. q.* 8. *a.* 2. *dub.* 1. Limitat hæc *Enriq.* nisi uxor fornicata esset. Quia tunc ratione fornicationis, si vir esset innocens, posset illam repellere. Secundo limitat *eo. c.* 8. *n.* 3. *in comment. lit. L.* nisi impedimentum esset ex maleficio, & transacto triennio ac aliis diligentiis præmissis. facta esset matrimonii dissolutio. Tunc enim quamvis experientia constet jam maleficium cessasse, non restituetur vir in sacris constitutus uxori repetenti. Sed hæc limitatio non placet: eo quod nullo jure probetur. Sicut nec approbavimus n. 22. quod *idem Enriq.* cum aliis censuit, non posse dissolvi aliud matrim. ab hoc maleficiato initum. Quod si uxor non repetat virum, nequibit vir ad ipsam redire. Cum per ordinem sacrum sibi præjudicarit. Ita docent *Alberic. Supplem. Pisanæ, Silv. ib.* Subdit *Petr. de Ledes. prox. allegatus*, uxorem nolentem repetere hunc virum, sed separatim vivere, teneri vovere castitatem. Sed mihi displicet: nec video cur ad hoc teneatur femina. Quod textus hoc votum petens in uxore, *c. Coniugatus, de convers. coniug.* solum hoc petit, ut vir de consensu uxoris legitime ad ordines sacros ascendat, at cum ipse ascendit jam, nullus textus id petit, quamvis uxor sua libertate utens nolit ipsum repetere.

40 Atque vir sic restitutus uxori tenetur reddere debitum. Quod illa jure conjugali privata non sit. Atque ita fatentur *Ricard. 4. dist.* 34. *a.* 3. *q.* 2. *ad* 3. *Astens. 2. p. sum. l.* 8. *t.* 29. *a. un. q.* 7. *Rosella Suppl. Pisanæ Silv. nu. præc. alleg.* Sed an possit is vir petere, non conveniunt Doctores. Nam aliqui auctores, quos tacito nomine referunt *Ricard. & Astens. ibid.* sentiunt integrum sibi esse petere: & eorum opinionem videntur sequi: cum eam in ultimo loco referant. Quia ille ex falsa vinculi conjugalis existimatione solutionis ad ordines ascendit, votoque se astrinxit. At tenendum est, non posse petere. Quia is error fuit circa causam impulsivam, & ita non vitiat (ut latius probabo lib. 10. disp. 9. n. 23. Atque ita docent *Supplem. Pisanæ, Rosella, Silvest. num. præced. allegati.*

DISPUTATIO C.

An si sententia dissolvens prius matr. bis confirmata sit: aut ab ea legitimo tempore non sit appellatum, retractanda sit comperto errore: & quo remedio: aut coram quo judice, & ita sententia in causa matr. non transeat in rem judicatam?

SUMMARIUM.

Sententia matrimonii, sive bis confirmata, sive lapso termino ad appellandum, nunquam transit in rem judicatam, sed comperto errore retractatur: & de hujus ratione discutitur, num. 1.
In sententia matrimonii, & aliis, quæ non transeunt in rem judicatam, potest transacto appellandi termino probari injustitia causæ, tam ex meritis ejus, quam ex ordine processus, 2.
Judex ex officio potest parte inpita retractare dictam sententiam, 3.
An possit retractare per appellationem, an per solam querelam, 4.
An possit audiri impugnans hanc sententiam, absque causæ cognitione, & citari debeat pars, & si judex non præmittat causæ cognitionem, possit appellari: & in dubio an causa sit justa, possit audiri, 5.
Quoties audiendus sit volens prædictam sententiam impugnare, 6.
An præsumptio pro sententia illa, a qua appellatum non est, existat: & alleganti injustitiam, incumbat onus probandi, 7.
An quoad instantiam causæ transeat sententia in causa conjugali in rem judicatam: itaut novo libello novaque querela utendum sit? 8.
An hæc nova querela possit coram Archiepiscopo, inter subditos Episcopi suffraganei proponi: & coram quo judice proponenda sit, 9.
An possit coram Archiepiscopo de retractatione hujus sententiæ agi, si ejus nullitas seu principaliter seu incidenter proponatur, 10.
An sententia hæc transeat in rem judicatam, quoad expensas, quarum condemnatus est succumbens in priori sententia, 11.
An transeat in rem judicatam respectu tertii opponentis contra valorem matrimonii, 12.
An transeat in rem judicatam in sponsalibus: & in matrimonio quod novo consensu contrahi legitime potest, 13.
An quando sententia lata est in matrimonii favorem, transeat in rem judicatam, 14.
An transeat, quando conjux allegavit potentiæ defectum in genere, & succubuit, 15.
An sententia divortii transeat in rem judicatam? Remissive, 16.

PRæmittendum est, id matr. speciale esse, ut sententia in conjugali causa lata, quacumque circumspectione præmissa, sive bis ab ea provocatum fuerit, confirmataque sit, sive lapsus terminus ad appellandum sit, nunquam transeat in rem judicatam, ac proinde non ita efficacem auctoritatem sortiatur, quin retractanda sit, quoties compertum fuerit, eam errore quodam latam fuisse. Constat ex *c. Lator, de sent. & re judic.* ibi: *Mand. quaten. si vobis constiterit eos per judic. Eccl. non fuisse legitime separatos, Ecclesiamque deceptam, ipsos faciatis sicut vir, & uxor insimul permanere.* Idem decernitur *c. Consanguinei, & c. Tenor eo. t. & c. Fratern. de frig. & malef.* Et ita docent *Ant. eo. c. Frat. n.* 32. *& ibi Abb. n.* 21. *Præp. n.* 19. *Alex. de Nevo ibi, §. Quamvis n.* 26. *Id. Ant. d. c. Lator n.* 8. *& ibi Alex. de Nevo n.* 11. *Decius n.* 5. *declar.* 4. *Imola n.* 7. *vers. Item videtur: & clem. 1. n.* 1. *de sent. & re jud idem Alex. de Nevo d. c. Consanguinei, n.* 15. *Id. Dec. c. Sua, ampl.* 4. *n.* 16. *in nova edit. de appell. Franc. rubr. de appell. n.* 30. *& c. Nicolao, ad fi. eo. t. Cov.* 4. *decr.* 2 *p. c.* 8. §. 12. *n.* 12. *init.* Et quamvis *gloss. d. c. Fratern. verb. Fornicario, in fin.* quam transcribit *Monald. sum. tr. de matr. t. de impossibilitate coeundi quid sit, col.* 3. videatur contrarium sentire: ait enim in matr. triplicem tantum sententiam esse ferendam, nec tertio appellare licere, unde videtur sentire transire in rem judicatam, quando duplici sententia est confirmata. Et ita quasi hoc sententiam impugnat *Ant. c. Fratern. n.* 23. At revera non sentit contrarium; sed tantum vult transire in rem judicatam, ad hunc sensum, ut per viam appellationis nequeat amplius retractari, sed per viam querelæ. Quod verissimum est, & nos dicemus n. 4. Et ita intelligunt Glossam *Abb. eo c. Frater. n.* 21. *Præpos. n.* 19. *Alex. de Nevo §. Quamvis n.* 26. Ratio autem cur sententia hæc non transeat in rem judicatam, lapso ad provocandum termino, aut bis confirmata: atque ita rescindi valeat, cum contrarium in fere omnib. aliis sententiis contingat, communiter traditur. Quod in reliquis sententiis consensus omittentis debito tempore appellare posit aliquid operari: ac eo ipso quod non appellat, videatur consentire. Ex quo consensu sententia vires rei judicatæ assumit. *Quoad consultationem de sent. & re jud.* ibi: *Cum per hoc videatur per interpretationem juris latæ sententiæ paruisse.* At in causa conjugali nequit consensus omittentis appellatione efficere, ut matr. cum impedimento dirimenti initum sit validum: vel ut legitime contractum dissolvatur. Quare sententia per errorem decidens illud esse validum, vel hoc dissolvendum, nulla ratione assumere potest vires rei judicatæ: sive quod bis confirmata sit, sive quod ab ea

ab ea non appellans, censeatur consentire. Quia sententia illa transiens in rem judicatam foveret peccatum, separando veros conjuges, vel uniendo eos, qui tales esse nequeunt. At nullum vinculum quantumcumque multiplicatum poteit firmare actum, ex quo peccatum consurgit. Sed adversus hanc rationem pugnat fortiter duplex objectio. Prior, quod sententia pœnæ corporalis damnans, a qua non appellatur, transeat in rem judicatam, itaut revocari nequeat comperta rei innocentia, nisi ex speciali Principis indulgentia, *l. 1. ad fin. ff. de q. d. Divi, ff. de pœnis*. Cum tamen pœnæ mortis nemo absensum præstare possit, *l. Lib. homo ff. ad l. Aquiliam*. Nemo enim propriæ vitæ dominium habet. Posterior objectio est, quia omittens appellationem non censetur connivere sententiæ, ut aperte probat text. *in c. Concertationi, de appell.* in 6. ubi deciditur, ei, qui a sententia non appellavit, integrum esse contra eam aliis remediis agere, nisi in eam consenserit. Ergo ex sola appellationis omissione non deducitur consensus in sententiam. Sed utrique objectioni egregie satisfacit *Covar. 4. decr. 2. p. c. 8. §. 12. n. 16. & dupl. seq.* Priori sic respondet, quamvis expressus consensus nil operetur, ut possit quis corporaliter puniri: at tacitus consensus, seu potius patientia ea, qua non appellans finit sententiam transire in rem judicatam, ei valde nocet, jure sic disponente. Posteriori vero sic satisfacit. Non appellans censetur tacite consentire, admissa ipsius legis auctoritate id præsumentis præsumptione juris, & de jure, non ad omnes effectus, sed ad hunc, ne amplius de illius sententiæ justitia ex rigore discuti possit, non tamen ne aliis remediis ad varios effectus, sibi competentibus uti valeat, nimirum, ut judicium illud nullum esse constet, vel ut judicis iniquitas puniatur.

2 Atque in his sententiis non transeuntibus in rem judicatam potest probari injustitia sententiæ, tam respectu meritorum causæ: quam respectu ordinis processus per acta causæ quamvis transierit decennium a tempore sententiæ. Sic *Abb. c. Lat. n. 5. de sent. & re judic. & ibi Alex. de Nevo n. 4.*

3 Potest etiam judex ex officio parte invita procedere ad retractandam hujusmodi sententiam, ubi de erore certior factus fuerit. Quod bene docet *Card. c. Lator, n. un. vers. In gl. fin. de sent. & re judic.* Et constat ex *c. Porro, ad fin. de divort.* ibi: *Tui officii interest matrim. illa adhibita gravitate dissolvere, quia illicite contracta noscuntur*. Imo ad id teneri judicem probat hic textus. Quia tua interest, peccata auferre. At gravissimum est, illegitime conjunctos in matrimonio perseverare: aut legitime conjunctos separari.

4 Intellige tamen I. non transire in rem judicatam sententiam matrim. a qua decennio appellatum non est, vel duplici sententia confirmatam, ad hunc sensum, quin per viam querelæ possit contra eam allegari. At sumit auctoritatem rei judicatæ, ut prætextu appellationis corrigi nequeat. Et hoc est quod tradit *glos. c Fraternitatis, verb. Fornicario, in fi. de frigid. & malef.* ut eam intelligunt ac sequuntur *Abb. ibi, n. 21. Præp. n. 19. Alex. de Nevo, §. Quamvis, n. 27.* idem tenet *gl. c. Ad reprimendum, vers. Suspendatur, de offic. ord. & ibi Abb. n. 6. Ant. c. Lator n. 8. de sent. & re jud.* ubi *Abb. n. 10. Imola n. 7. init. & vers. Item videtur, Alex. de Nevo n. 10. 11. Fel. n. 4. declar. t. 3. & n. 5. declar. 4. Idem Abb. c. Sua, n. 7. de appell. & ibi Decius ampliat. 4. n. 16. in nova edit. Idem Imola eleg. 1. n. 1. de sent. & re judic. Franc. c. Venerabilibus, §. Porro n. 2. de sent. excom. in 6. Covar. 4. decr. 2. par. cap. 8. §. 12. vers. Sententia vero*. Et hanc doctrinam colligunt hi DD. ex *Hostiens. c. Tenor, in fi. de sent. & re jud.* ubi ait sententiam matrim. non transire in rem judicatam quoad veritatem, bene tamen quoad substitatem.

5 Secundo intellige, quamvis non omnino transeat in rem judicatam, transire tamen quoad hoc, ut non indiscriminatim eam impugnare volens audiatur, sed oportet allegare aliquam verisimilem injustitiæ causam, quæ jure optimo judicem ad id credendum ducat, ne in infinitum pars contraveniens audiatur. Quippe valde absurdum esset, ut passim & indiscriminatim audiretur contraveniens sententiæ laplo appellandi termino, vel confirmatæ. Quare justitiæ causæ impugnationis cognitio præmittenda est a judice ut pars contraveniens audiatur. Atque ita docent *Innoc. c. Tenor, n. un. ad medi. de sent. & re jud. & ibi Host. statim in pr. Jo: And. n. 1. fine. Ant. n. 11. Card. n. un vers. Oppono ad hoc Bald. n. 1. Anch. n. 4. Imol. n. 7. fi. Abb. c. Fraternitatis n. 21. de frig. & ibi Præp. nu. 19. Alex. de Nevo §. Quamvis n. 26. idem Abb. a c. fi. in fi. de clandest. disp. & ibi Alex. de Nevo, fin. idem Abb. c. Lator n. 11. de sent. & re jud* ubi *Card. fi. Alex. de Nevo n. 11. Fel. n. 6. declar. 5.* Quare judex debet præmittere summariam causæ cognitionem, non citato adversario, & ea apparente justa, audiri debet volens impugnare sententiam: secus non. Sic docent *Innoc. Host. Jo: And. Ant. Anch. Bald. Imol. Fel. eisd. locis. Card. d. cap. Tenor n. un. vers. Oppono ad hoc, & vers. Quæro circa*. Et in dubio an causa justa sit, audiri debet, quod animæ periculum vertatur. Juxta *c. Cum speciali, §. fi. vers. Excessu quoque dubio, de appell.* Sic *Host. d. c. Tenor n. 2. Jo: And. n. 11. fin. Ant. n. 11. Anch. n. 4. Card. n. un. vers. Quæro circa*, qui bene subdit, si non præmissa tali cognitione judex audiat petentem sententiam revocari, non posse adversarium opponere, nec appellare, sed posse puniri judicem a superiori: aitque posse etiam dici, integrum esse adversario opponere, & appellare.

6 Hinc deducitur primo certam regulam præscribi minime posse quoties audiendus sit volens prædictam sententiam impugnare: sed id arbitrio judicis committendum, attenta causa, quæ coram eo allegatur. Sic *Abb. cap. Lator n. 11. de sent. & re jud. & ibi Alex. de Nevo n. 11. Felin. n. 6. declar. 5.*

Secundo deducitur, præsumi pro sententia ac processus justitia, quando ab ea intra legitimum tempus non est appellatum donec ejus injustitia constiterit. Quare ejus injustitiam alleganti incumbit onus probandi. Ita *Innoc. cap. Bonæ el. 1. de elect. n. 8. Arch. 2. q. 6. in sum. n. 3. Jo: And. c. Lator, num. 3. de sent. & re jud. & ibi Ant. ad fi. Abb. n. 3. & 11. Imola num. 3. & 7. vers. Item transit. Alex. de Nevo, num. 3. & 11. Covar. alios allegans, 4. decr. 2. par. cap. 8. §. 12. & vers. Ex quibus constat.* 7

Tertio deducitur, ut hæc sententia rescindatur, oportere condemnatum uti nova querela, novoque libello, in quo petat eam causam conjugalem semel jam definitam iterum ad judicium deduci: & sententiam revocari ratione erroris detecti. Nam quoad instantiam causæ transiit in rem judicatam. Ut constat *c. Ex litteris, ad finem, de in integ. restit.* ibi: *Et ad audientiam restituimus eam pro matrimonio postulantem*, ubi non dicit textus, contra sententiam restituimus: quod ea numquam transierit in rem judicatam, quantum ad veritatem: sed ait: *Ad audientiam restituimus*, idest, ut perinde audiatur, sicut poterat audiri ante sententiam. Et ita docent *Host. eo c. Ex litteris, n. 13. Abb. cap. Lator n. 12. de sent. & re jud. & ibi Alex. de Nevo n. 12. Fel. n. 8. declar. 7. Henric. n. 2. Imola n. 7. & cap. Consanguinei, in fine eo. t. Covar. 4. decr. 2. p. c. 8. 12. n. 12. vers. Secundo*. 8

Quarto deducitur, hanc novam querelam minime proponi posse a fiduciis suffraganei, coram Archiepiscopo, utpote, qui inter eos solum est judex in causa appellationis, & non per viam querelæ. Ut est textus expressus *c. 1. de offic. legati, & c. Pastoralis in pr. de off. ord. & cap. Venerabilibus in pr. de sent. excomm. in 6.* Quamobrem querela hæc proponenda est coram eo judice, qui adiri potest per simplicem querelam. Sic *Abb. cap. Ad reprimendam n. 6. de offic. ord. & cap. Lator n. 10. sent. & re judic.* ubi *Fel. n. 4. declarat. 3. Alex. de Nevo n. 10. & cap. Consanguinei n. 16. eod. tit. Covar. 4. decr. 2. p. cap. 8. §. 12. vers. Tertio*. Hic autem judex, qui per viam querelæ adiri potest, est ipsemet, qui primam sententiam tulerat. Sic *Cov. ibi*. Pontifex etiam, vel ejus legatus, ut habetur *cap. 1. de offic. legati*. Et docet *Alex. de Nevo d. cap. Lator n. 10.* 9

Nec potest in hac causa etiam principaliter deducta Archiepiscopus adiri: quamvis adversus priorem sententiam opponatur eam nullam fuisse. Quia cum a sententia minime appellatum fit, aditur per solam querelæ viam: in quo casu Archiepiscopum non esse judicem competentem inter suffraganei subditos, probavimus n. præcedenti. Sic *Francus c. Delectio q. 27. de appellat. Fel. c. In literis in fin. de offic. deleg. & ibi Deci. ad fi. Covar. 4. decr. 2. p. c. 8. §. 12 n. 12. vers. Quarto*. Quamvis *Abb. d. c. In literis n. pen. & n. fi.* aliter distinguat cum *Bartolo, l. Si expressum num. 14. de appellat*, sic enim distinguit. Quando causa nullitatis sententiæ non principaliter, sed incidenter allegatur: ut si quis petat iterum pronunciari sententiam, & deducit nullitatem incidenter, tunc non potest adiri superior. Quod est verissimum. Quia causa nunquam deducitur ad superiorem, nisi per appellationem, vel aliud remedium æquivalens. At deducitur nullitas sententiæ, principaliter: quia, nimirum, directe petitur sententiam pronunciari nullam: & tunc ait *Abbas cum Bartolo*, posse adiri eum judicem, qui sententiam tulit, vel superiorem. Ex quo infert *Abbas* posse adiri Archiepiscopum, quando sententia lata est ab Episcopo suffraganeo, Sed (ut bene advertunt DD. citati,) non est verum posse tunc adiri Archiepiscopum. Nec Bartolus locutus est de Archiepiscopo, qui limitatam jurisdictionem habet in causis suffraganei, nempe, ad cognoscendum per solam appellationem: sed intelligitur Bart. de eo superiore, qui potest etiam per viam querelæ adiri: qualis est legatus, *c. 1. de offic. legati*.

Tertio intellige tentent. matrimonii non transire in rem judicatam, quoad ipsum conjugium: secus quoad expensas, quarum succumbens condemnatus fuit per eam sententiam, a qua non est appellatum. Nec enim restituentur reclamanti potest, ac docenti errorem sententiæ. Et ratio est aperta, sententia enim matrimonii ideo non transit in rem judicatam ne foveatur peccatum, sustinendo matr. irritum aut dissolvendo validum, (ut I diximus,) Quæ ratio in expensarum condemnationem cessat: & ideo sortitur naturam aliarum sententiarum, quæ in rem judicatam transeunt. Sic *Fel. c. Lator n. 10. in declar. 9 de sent. & re jud.* & tenent in simili, nempe, in excommunicationis sententia, quæ in hoc par est sententiæ conjugali, cum neutra in rem judicatam transeat: *Jo: And. c. Venerabilibus, paulo post pr. v. Quæ rimoniam de sent. excom. in 6. & ibi Anch in pr. not. 3. n. 9. Domin. §. Porro n. 5. v. quare de qua quæ rimonia & ibi Abb n. 9. Alex. de Nevo n. 16. Imola ad fi. Idem Abb. c. Ad reprimendam n. 7. de off. ord.* Et hoc est quod dixere *Host. eod. c. Consanguinei in fin. & ibi Card. fine* sententias has transire in rem judicatam quoad utilitatem privatam, secus quoad publicam. 10

Quarto intellige non transire in rem judicatam respectu conjugum, at transire respectu tertii contra matrimonium agentis & ita fi quidam tertius opposuit impedimentum, & succubuit, sententia contra ipsum lata a qua non appellavit legitimo tempore, ita transit in rem judicatam, ut nemo deinceps audiatur volens id impedimentum proponere. Quod actio popularis uno agente consummetur, *l. Eum qui, §. In popularib. ff. de jurejur.* Ita *Goffred. c. fi. de cland. desponf.* At hæc limitatio displicet omnino, quia ea retenta foveretur peccatum, sustinendo matr. irritum. Et ita eam impugnant *Host. c. Consanguinei, n. 3. de sent. & re judic. Ant. eo c. fi. n. 21. q. 7. & ibi Abb. fin. Alex. de Nevo, fin. Præpos. n. 4. fin. Fel. c. Lator, n. 13. declar. 11. de sent. & re jud.* 11

Quinto intellige, non transire in rem judicatam, quando ex illius sententiæ observantia nutritur peccatum, nec consensu partis utriusque potest cessare culpa. Ut si lata sit contra legitimum matr. declarans id esse irritum: aut in favorem matrim. cum impedimento dirimenti initi: At transit in rem judicatam, quando consensu utriusque potest cessare culpa, & matr. constare. Ut si litigetur an aliquod fuerit legitimum matr. allegante altero metum, vel conditionem servitutis alterius conjugis a se ignoratam, succubuit hic, & sententia pronuntiatum est, valuisse conjugium, si non appellavit legitimo tempore, transit in rem judicatam, itaut amplius ob eam rationem retractari nequeat. Quia ex observatione illius sententiæ nulla consurgit culpa: possunt enim partes denuo consentire: & complentur non desistere. Et (ut ait *Covar. statim allegandus*) est præsumptio juris & de jure, adversus quam nulla admittitur probatio, consensum novum præstitum esse ab ipso per sententiam victo, qui appellationem omisit. Atque ita hanc limitationem docent *gl. fi. c. Lator, de sent. & re jud. & ibi Ant. n. 8. Bald. n. 5. Jo: And. fi. Abb. n. 9. Alex. de Nevo n. 8. Fel. n. 2. declar. 1. Henr. n. 3. & 4. idem Ant. c. Jurovit n. 6. de prob. & ibi Abb. n. 5. Dec. in nova edit. n. 18. concl. 2. idem Abb. cons. 60. n. 2. vol. 2. Cov. 4. decr. 2. p. c. 8. §. 12. n. 19. vers. Tertio*. Quare hinc constat sententiam in sponsalibus de futuro latam transire in rem judicatam, quando ea dissolvuntur probato aliquo impedimento, nec a sententia appellatum est. Quia possunt partes sibi præjudicare non appellando. Cum etiam possint omni sententia cessante dissolvere sponsalia absque aliquo peccato. Secus si sententia lata sit in favorem sponsalium, non probato impedimento dirimenti matrim. ea enim non potest in rem judicatam transire. Quia foveretur peccatum, compellendum virtute illorum sponsalium ad matr. irritum ineundum. Atque ita docent *Ant. eo. c. Juravit, n. 6. Abb. ibi, n. 5. Decius in nova edit. n. 18. concl. 2.* 12

Hinc deducitur I. non omnino esse veram doctrinam aliquorum, quos tacito nomine refert *Fel. c. Lator n. 3. declar. 2. de sent. & re judic.* dicentium sententiam in favorem matrim. latam transire in rem judicatam. Quia cum non transire emanarit in matr. favorem, non debet contra illud operari, *l. Quod favore, C. de legib.* Sed bene *Fel. ibi* dicit hanc doctrinam tantum esse veram, quando is qui matr. impugnat, non allegat impedimentum dirimens. Quia tunc possunt partes consensum novum præstare in matr. juxta dicta n. præc. Secus si impedimentum dirimens allegaretur: tunc enim quantumvis in favorem matrim. emanarit sententia, declarando id esse. validum, nequit in rem judicatam transire. Quod peccatum foveretur: & quia ita est matrimonii favor, irritum dissolvere, ac validum tueri, Et ita docent *Host. eo. c. Lator, in fi. Ant. c. Series, n. fi. de testib. & attest. & ibi Abb. n. 5.* 13

Secundo deducitur, transire sententiam matrimonii in rem judicatam, quoties conjux allegans esse irritum ratione impotentiæ alterius, non allegavit speciem impotentiæ, sed in genere impotentiam: & contra ipsum lata est sententia, a qua non appellavit. Quod in hoc casu cesset animæ periculum, ratione cujus non transit: nam si nequeunt ut conjuges habitare ratione veræ impotentiæ, possunt ut frater & soror, *c. Consultationi, de frigid. & malef.* Item quia succumbens in hac generali petitione, non posset postmodum allegare aliquam impotentiæ speciem; uti posset, si solam speciem aliquam allegasset. Sicut docent *Jo: And. c. fi. n. 2. de frig. & ibi Ant. n. 6. Abb. n. 4. Card. statim in pr. Anch. n. 1. notab. 3. Alex. de Nevo n. 6. Præp. n. 1.* Et ita in hoc casu transire in rem judicatam, docent *Abb. eo c. fi. n. 4. Alex. de Nevo ibi, n. 7.* limitans, nisi potenti immineret periculum incontinentiæ; tunc enim eo quod fovere peccatum non transiret in rem judicatam. *Fel. c. Lator n. 2. declar. 1. sent. & re jud.* ait in casu hujus periculi, doctrinam hanc esse dubiam, & forte dici posse, judicem ex officio provisurum. Verum nullo modo hæc limitatio placet: & ita existimo sententiam hanc non transire in rem judicatam; sed succumbentem, nec appellantem, posse postea probare speciem impotentiæ: sicut allegans consanguinitatem, & sententia a qua non appellavit, condemnatus, potest semper via querelæ contra sententiam reclamare, utpote quæ in rem judicatam non transit. Ducor, quod in utroque casu foveatur peccatum, cum declaretur validum matrim. quod consensus pretium nequit valere obstante impedimento dirimenti; & datur conjugibus facultas ad actus conjugales: & si potens ad aliud transeat, dirimetur hoc posterius matr. cum tamen validum sit. Nec obstat eos posse sine peccato habitare ut fratres. Tum quia Ecclesia non declarat eos ut fratres habitare, sed ut veros conjuges: cum tamen tales esse nequeant. Tum etiam, quia idem procedit, existenti consanguinitate, aut quovis alio impedimento dirimenti: nunquam enim ex transitu talis sententiæ in rem judicatam foveretur peccatum. Cum semper possent absque peccato habitare ut frater & soror. Et ita falsa esset decisio textuum asserentium sententiam in causa conjugali non transire in rem judicatam. Tandem, quia etiam allegata specie impotentiæ, si allegans damnatur nec appellet: cum tamen vera esset impotentia, posset absque culpa habitare tanquam frater cum sorore. Et tamen in hoc casu fatentur adversarii sententiam non transire in rem judicatam. 14

Tandem an sententia divortii, quoad thorum & habitationem, transeat in rem judicatam, dicemus lib. 10. disp. 9. a n. 2. ad 4. 16

DISPUTATIO CI.

An dissoluto matr. ratione impotentiæ utriusvis conjugis; & comperto errore ex impotentia fornicationes, aut posteriori matrim. consummatione, integrum sit potenti celebrare divortium, ob eam copulam impotentis?

SUMMARIUM.

Explicatur quotuplex casus disputandus, n. 1.

An conjuge reputato impotente, aut altero fornicanti post dissolutum jam matrimonium, quando comperto errore instauratur prius matrim. possit alteruter innocens ratione illius fornicationis ab altero divertere? proponitur ratio dubitandi, 2.

Ratione fornicationis admissæ a conjuge reputato impotente, licet potenti innocenti divortium, 3.

Si conjux potens dissoluto matrim. fornicetur, nequit ab impotenti repelli, quando instauratur matrim. Et explicatur c. Gaudemus, in fine, de divort. 4.

Fornicatio conjugis impotentis non compensatur fornicatione potentis, 5.

Improbatur opinio Soti, dicentis frigidum separatum consumtum aliud matrimonium, posse divertere a potenti fornicante, 6.

Refutatur Glossa asserens, si inpotens & potens aliud ineant matrim. dari compensationem. Et quid si impotens ante Ecclesiæ sent. ad alias nuptias transierit? 7.

An si vir ratione frigiditatis separatus, ineat ac consummet aliud matrimonium, possit a potenti repelli ratione hujus copulæ, 8.

Quid, si mulier conscia fraudis fuerit, viri frigiditatem confitens, 9.

Quid, si vir dolo corruit, 10.

An separato ratione arctitudinis omnimodæ feminæ matrimonio, ac detecta errore, possit vir illam repellere, non tantum ratione fornicariæ, sed etiam conjugalis cum alio viro cui nupserat, copulæ? Refertur quædam sententia, 11.

Proponitur sententia Auctoris, 12.

Quid, si matrim. ob solam impotentiam respectivam, dissolutum sit: & uterque conjux ad aliud transit conjugium, id consummant, an licet innocenti divertere ratione copulæ conjugalis alterius, n. 13. & ibi, quid si fornicatus est?

In hac disp. quadruplex involvitur casus discutiendus. I. est, quando conjux reputatus impotens vel potens fornicatus est. II. quando vir reputatus frigidus, & ideo separatus, ad alias nuptias transiens, eas consummavit. III. quando dissolutum est matr. ratione omnimodæ arctitudinis feminæ, quæ postea copula fornicaria aut conjugali ab alio cognita est. Ultimus, quando ratione impotentiæ respectivæ, & alteruter aliud consummavit matr. aut fornicationem admisit. 1

In primo ergo casu, quando dissoluto matr. ratione impotentiæ conjugis falso reputatæ, alter ex illis fornicatus est: videtur nullum divortii ratione fornicationis illius posse esse locum. Quod solum adulterium, utpote quod conjugi innocenti injuriam irrogat, sufficientem divortii ansam præbeat. At in hoc cessat adulterium: cum uterque conjux optima fide ob Ecclesiæ sententiam se solutum reputet. Nec obstat a fornicationis vitio eum non eximi. Quia juste credens conjugem mortuum, & fornicans, non dat justam divortii causam, eo quod a circumstantia adulterii liber sit (ut dicemus lib. 10. disp. 5. n. 12.) Quod idem in hoc casu militat. 2

At certissimum est, ratione fornicationis admissæ a conjuge illo præsumpto impotente, & ob id separato, licere alteri, si innocens sit, celebrare divortium quoad thorum & habitationem, quamvis errore prioris sententiæ detecto restaurandum sit matr. quoad vinculum. Constat ex *c. Fratern. de frid. & malef.* ubi cum Pontifex decernat uxorem ratione arctitudinis præsumptæ separatam, restituendam esse viro, detecta arctitudinis fallitate, subdit hæc: *Nisi se fornicario modo alii viro miscuerit: ut primus vir, prætextu fornicationis, ejus consortium velit declinare*. Atque id fatentur universi. Verum tamen non modica difficultas circa hujus rationem. Nam valde urget objectio n. præc. proposita. Quare *glos. eo c. Fraternit. verb. Fornicario*, ab hac difficultate se expedit dicens, sicut ex futuro copulæ eventu apparet retro fuisse matr. sic ex eo apparere retro esse injuriam irrogatam priori matrim. Eamdem solutionem tradit *Asiens. 2. p. sum. l. 8. t. 74. art. 2. q. 1. Thom. Sanchez de Matrim.* Tom. II. Sed hanc solutionem merito improbant *Ant. eo c. Fraternitatis, n. 27. Abb. n. 20. Alex. de Nevo ibi, §. Quamvis, num. 20.* Quod licet ex futuro eventu retrotrahatur declaratio valoris prioris matrimonii, æquitas enim id poscit: at æquitate destituta est retrotractio respectu inducendi delicti adulterii ad divortium. At omnis fictio super æquitate fundatur: Adde veritatem matrimonii pendere ex potentiæ veritate: 3

veritatem autem adulterii ex matrimonii existimatione. At futurus copulæ eventus potest declarare veram fuisse potentiam ad copulam, ac proinde præcedens matrim. legitimum fuisse: nequit tamen declarare conjugem illum existimasse Ecclesiam deceptam esse judicando matr. irritum, ipsamque putasse esse validum, ut vel sic fornicans sit adulteri requisiti 3 ac divortii reus. Quamobrem aliam tradunt solutionem, quam etiam amplectitur *Brunel. de sponf. concl. 28. limitat. 6. nu. 27.* Quod fornicans dederit operam rei illicitæ, atque adeo omnis eventus etiam præter intentionem secutus sit ei imputandus juxta doctrinam *Glass. c. Si vero, el 2. v. Ignoraverit, de sentent. excom.* Ceterum hanc doctrinam reprobabo l. 9. disp. 32. n. 24. Præterea, quia in materia irregularitatis ex casuali homicidio contingentis, etsi communis sententia prædicto innitens fundamento, sustineat homicidium præter omnem spem & absque culpa secutum, imputari ad irregularitatem danti operam rei illicitæ. At verior id negat, nisi quando res illa illicita interdicta est, eo quod sit periculosa. Quare nec plaset hæc solutio. Et ideo ratio hujus decisionis est, quam ibidem significant *Ant. & Alex. de Nevo*, nimirum, quod conjux ille impotens eo ipso quod copulam attentavit quasi potentiam suam experiri volens, necessario consensum præstitit matrimonii injuriæ, quæ ex illius copulæ consummatione consurgere poterat, ex illa enim verificabitur prioris matrimonii valor, ac subinde adulterii injuria.

4 Hinc deducitur, si conjux potens nondum certior factus de falsitate impotentiæ alterius conjugis per sententiam a se separati fornicetur, non posse illum repelli ratione hujus fornicationis, a conjuge existimato impotente, quando postea detecta impotentiæ falsitate instauratur prius matrim. quamvis impotens sit innocens, quia nimirum, absque copula falsitas imporentiæ per incisionem deprehensa est. Dicor, quod ea copula nulla ratione fuerit adulterium, cum juste se solutum existimaret, nec ex copula a se habita colligatur instaurandum esse matr. utpote quod non ex vitio illius dissolutum est. At lib. 10. disp. 5. n. 12. dicam, quoties fornicatio excusatur ab adulterii circumstantia, non dari divortium ratione ejus. Et constat etiam ex *c. Gaudemus, de divort. in fi.* ubi deciditur uxori dimissæ per libellum repudii tempore infidelitatis, non posse objici post conversionem ad fidem, ad divortium celebrandum, copulam conjugalem in alio matrim. habitam, ad quod ea dimissa transiit. Cujus rationem reddunt *ibi Abbas n. 10. & Alex. de Nevo ibi, §. Qui autem, nu. 4.* quod cum infideles existiment solvi matrimonii vinculum per repudium, femina illa a culpa adulterii excusata sit. Sed objicies, *eod. cap. Gaudemus, in fine*, decipi posse huic dimissæ objici fornicationem, ibi: *Non tamen dimissor poterit objicere fornicationem dimissæ, pro eo quod nupsit alii post repudium, nisi alias fuerit fornicata.* At fornicatio illa vacabat adulterii culpa, cum illa se juste existimaret a vinculo prioris matrim. solutam. Sed dic textum intelligi de fornicatione admissa ante repudii libellum. Nam admissa post, non potest objici: eo quod non fuerit vere adulterium.

5 Hinc rursus subinfertur, non obstante hac conjugis potentis fornicatione integrum ei esse, repellere conjugem separatum ratione impotentiæ, reum fornicationis, seu copulæ conjugalis in alio matrim. posterius inito habitæ, casu quo nu. 8. & 12. dicemus, posse ratione hujus copulæ celebrari divortium. Dicor, quod non sint paria delicta: cum fornicatio conjugis impotentis præsumatur adulterium, juxta n. 3. dicta. Delictum autem hujus conjugis potentis est simplex fornicatio. Quare sicut hæc non præstat sufficientem divortii causam, ita nec compensat adulterium alterius conjugis. Quippe ut compensatio locum habeat, debet utrusque delictum sufficiens esse ad divortium (ut probabo l. 10. disp. 6. nu. 3.) Et confir. quia impotens adulter injuriam irrogavit potenti, fidemque conjugii violavit. Conjux autem potens neutrum efficit: utpote qui juste se solutum credidit. Tandem quia si conjux certior legitime factus de falso alterius conjugis obitu fornicaretur, sicut fornicatio hæc non esset justa divortii causa (ut probabo l. 10. disp. 5. num. 12.) ita nec fornicatione hac compensaretur adulterium alterius conjugis, quo minus ratione illius liceret conjugi existimanti alterum mortuum, divortium celebrare.

6 Quare nulla ratione approbo quod tradit *Sotus 4. d. 34. qu. un. art. 2. concl. 4.* ubi ait conjugem ratione frigiditatis separatum, aliud matrimonium consummantem, posse a conjuge potenti fornicante divertere ratione hujus fornicationis. Deficit enim in duobus. Prius est, quod impotens ille consummans aliud matrimonium, reus quoque adulterii sit, juxta nu. 3. dicta. Atque ideo nullum jus habet opponendi illud adulterium conjugi potenti: cum utrumque delictum mutua compensatione abolendum esset. Juxta ea quæ late disputabimus l. 10. tota disput. 6. Posterius est, quod fornicatio illa conjugis potentis, nullam adulterii rationem subeat: ac proinde quamvis impotens esset innocens, nulla esset justa divertendi causa, juxta num. 4. dicta: nedum cum reus sit.

7 Nec similiter approbo quod tradit *glos. fi. cap. 2. 33. quæst. 1.* ubi cum is textus decidat frigidum separatum ab uxore, & postmodum alias consummantem nuptias, restituendum esse uxori priori, ait id esse verum, si uterque aliud inierit matrim. alias innocentem posse impotenti objicere in adulterium, quoad thori separationem. Quare sentit compensari utriusque copulam. Sed hoc constat a veritate deficere. Id enim adulterium impotentis non compensatur fornicatione potentis (ut probavi n. 5.) nedum copula conjugali. Adde potentem bona fide alias celebrasse nuptias: cum pro se haberet sententiam dissolutionis priorum, nec ipsi interdictum esse transitum ad alias. Et ita colligitur ex *Jo. Andr. cap. 1. n. 16. de frigid. & malef. & ibi Præpos. n. fi.* ubi dicunt non posse conjugi potenti opponi alterius matrimonii consummationem, quando auctoritate Ecclesiæ, dissoluto priori matrimonio, ad aliud transiit. Secus si ante Ecclesiæ sententiam: deficit enim justus titulus: cum majorem indaginem ea separatio & transitus ad aliud matrimonium postularent.

8 Circa secundum casum, nimirum, quando vir ab alio matrimonio separatus ratione frigiditatis, aliud init id consummans, dicendum est licere uxori priori divortium ratione illius copulæ celebrare. Quod ea copula adulterina sit: ut nu. 3. probavi, de fornicatione impotentis. Nam eadem est ratio: nec potuit ipsum ab adulterio matrim. excusare. Cum nulla justa ratione ductus potuerit illud inire: utpote, qui ratione frigiditatis perpetuo dirimentis matrim. a priori separatus erat. Atque ita docent *Glos. cap. 1. verb. Reparare, de frig. & malef. ibi Jo. And. n. 7. Alex. de Nevo n. 9. fi. Præpos. nu. ult. Hoss. sum. o. 1. §. Qualiter & quando, n. 10. Alberic. in suo diction. littera D. verb. Divortium, paulo post princ. Jo. de Friburgo in sum. Confessorum, l. 4. t. 16. qu. 16. Astens. 2. par. sum. l. 8. t. 37. art. 1. paulo post princ. Supplem. Pisanæ verb. Divortium, num. 2. & ibi Rosella n. 1. Silv. q. 18. nu. 21. Greg. Lop. l. final. verb. Efazer, t. 8. p. 4. Ant. Cucus l. 5. institut. majorum, t. 12. n. 264.*

9 Temperatur hoc, nisi mulier conscia fraudis fuerit: quia, scilicet, fraudulenter fassa est cum viro ejus frigiditatem. Sic *gl. Host. Abb. Alex. de Nevo, Alberic. Joan. de Friburg. Astens. Supplem. Pisanæ, Rosella, Silv. Greg. Lop. Ant. Cucus, n. præc. allegati.* Verum hoc non caret difficultate. Quia confessio illa uxoris fraudulenta solum operata est, ut vir ab ea separaretur. At injusta conjugis expulsio non obstat, quin expellenti liceat divortium ratione adulterii ab expulso admissi celebrare (ut dicemus l. 10. disp. 5. n. 6. & 7.) At hoc non obstante, minime recedendum est a communi ac verissima limitatione posita. Dispar enim est ratio, quia cum in hac expulsione non consenserit expellens, dissolutioni vinculi matrim. nequaquam censetur injuriam adulterii postea admissi condonare; & ideo potest illam objicere ad divortium celebrandum. At conjux dolose fatens impotentiam conjugis, ut dissolvatur matr. vinculum, cum dissolutioni conniveat, censetur condonare ac remittere quodcumque adulterium postea admissum, atque illud reputare quasi a persona matr. vinculo soluta perpetratum, ac proinde jure careat illud objiciendi, sicuti eo careret, concedens conjugi licentiam adulterandi. Ut dicemus l. 10. disp. 5. n. 3. & seqq.

10 Secundo temperant aliqui, nisi frigidus ipse ad aliud matr. transiens dolo caruerit. Quod adulterium sine dolo esse nequeat. Sic *gl. Abb. Alex. de Nevo, Greg. Lop. n. 8. allegati. Enriq. lib. 12. de matr. q. 7. in comment. final.* Sed licet verissima sit limitatio in se: me quidem latet qualiter vir dolo carere valeat. Cum ratione frigiditatis perpetuæ matr. dissolutum sit: isque sententia declaratus sit matrim. impotentum ineundo ineptus.

11 Circa tertium casum, nimirum, quando ratione arctitudinis seminæ omnimodæ matr. est dissolutum: constat ex dictis n. 3. posse instaurato postmodum matrim. eam feminam repelli a viro, ratione fornicationis postea admissæ. At difficultas gravis est, an possit repelli ratione copulæ conjugalis habitæ cum viro cui nupsit post prioris matr. dissolutionem. Ansam dubitandi maximam præbet textus *c. Fraternitatis, de frigid. & malef.* ubi postquam *Innoc. III.* decidit mulieri separata ratione arctitudinis, & postea fornicanti, instaurandum esse matrim. quoad vinculum, permisso tamen divortio illius fornicationis seminæ, subdit hæc: *Si postea in conspectu Ecclesiæ nupsit memorato G. quamdiu articulus iste dubitabilis erat præsumi, non debeat quod fornicaretur cum illo. Sed amodo non debet cum illo aliquatenus remanere.* Ubi clare textus constitueret id discrimen inter copulam fornicariam & conjugalem hujus seminæ, ut ratione illius liceat divortium: secus ratione hujus. Quidam sic exponunt, ut prinsquam illa decretalis ederetur in lucem, non liceret divortium ratione illius copulæ conjugalis. Quod femina illa arcta juste potuerit ignorare, matrim. prius legitime dissolutum posse restaurari. Cum res illa nondum esset per Ecclesiam decisa, ac proinde justa excusante ignorantia, delicto tribuenda non erat ea copula conjugalis. At hodie licitum est divortium ratione illius. Non enim potest excusari, postquam hæc decretalis promulgata est. Ita sentiunt *Innoc. eo. c. Fraternitatis, n. 6 & 7. Host. n. 6. 10. & 11. Ant. n. 27. Præp. n. 11. notab. 9. Alex. de Nevo ibi, §. Quamvis, n. 23. Alberic. in suo dict. lit. I. v. Imped. imped. 15. Supplem. Pisanæ, verb. Imped. imped. 15. n. 10.* Et ita explicat *amodo*, idest, post illam decretalem editam. Sed *Abb. eo. cap. Fraternitatis, n. 20. & Brunel. de sponf. concl. 28. limit. 6. n. 27.* explicant: *amodo*, idest, post primum coitum; atque ita sentiunt primum coitum conjugalem huic feminæ objicii minime posse ad divortium: secus de sequentibus. Quia etiam hodie licite femina hæc ad secundas nuptias transit: cum præsumere possit se alteri viro aptam fore: ac proinde primus coitus

coitus culpæ tribui nequit. At habito primo coitu debet cognoscere prius matr. valuisse, ac sententiam ex falsa arctitudinis præsumptione latam. Quare postea cum illo viro concumbens, tamquam adulterii rea justam divortii causam præbet. Et non concedi divortium ratione illius copulæ conjugalis, fatentur *glos. eodem c. Fraternitatis, v. Fornicario, & Astensis 2. p summ. l. 8. t. 37. a. 2. q. 1.*

12 Ceterum fateor me neutram expositionem capere posse. Quod textus *eodem c. Fraternitatis* de femina omnino arcta loquatur. Ut fateatur *ibi Alex. de Nevo, §. Quamvis, n. 23.* & constat ex matronarum declaratione ibi propositæ, *Quæ tandem in fide sua tibi asseruere constanter, quod eadem nunquam poterat esse mater, aut conjux, tanquam cui naturale deerat instrumentum.* Si ergo arcta omnino erat, non video cur non dicendum sit, ratione illius copulæ conjugalis posse virum divortium petere. Sicut nu. 8. probavi frigidum consummantem aliud matr. justam divortii causam præbere. Cum in utroque casu eadem prorsus militet ratio. Quippe tam inepta est illa ad matr. quam hic, & neuter justam transeundi ad alias nuptias causam habere potuit: eo quod impotentia absoluta ac perpetua, coram Ecclesia legitime probata, utique obstet, & confessio propria, qua se impotentes fassi sunt. Quare existimo mulierem ratione omnimodæ arctitudinis a viro separatam posse a viro repelli quoad cohabitationem ratione copulæ habitæ cum posteriori, cui nupsit. Sicut nu. 8. de viro frigido diximus, nisi vir fraudis fuerit conscius, aut ipsa dolo caruerit. Ut de viro frigido limitavimus n. 9. & 10. Solum superest exponere verba ex *c. Fraternitatis, de frigid.* desumpta, quæ n. præc. retuli, ac valde huic doctrinæ obstant. Sed ea sic intelligo. Textus hac distinctione utitur. Aut mulier arcta a priori viro separata, ac posteriori nupta, emiserat post separationem a priori votum castitatis solemne: & tunc neutrum matr. est firmum. Non prius, quia tanquam non vere consummatum, est professione supervenienti dissolutum. Non posterius, eo quod contra votum solemne præcedens castitatis est initum. Aut solo simplici castitatis voto se ligarat, & tunc si constat eam cum aliquo fornicatam, potest prior vir ratione fornicationis eam repellere: si autem de copula non constat, sed de solo matr. posterius inito, quamdiu hic articulus copulæ cum posteriori viro est sub dubio, non præsumitur ex solo matr. copula, ut sic restauretur prius matrimonium: obstat enim arctitudo absoluta ipsius feminæ legitime probata in priori judicio, ac sententia confirmata: *Sed amodo non debet cum illo aliquatenus remanere.* Id est, absque alia indagine vel mora (id enim importat amodo, id est, *desde luego*) est separanda a posteriori matrimonio ea femina. Quia statim constat id esse irritum. Nam si non est arcta, valet prius matr. & sic non posterius: si vero sit arcta, neutrum. Juxta ea, quæ diximus de omnino frigido, disp. 99. nu. 6. & 7. & de muliere omnino arcta, ibi n. 18.

13 In ultimo casu, nempe, quando matr. ob solam impotentiam respectivam, separatum est: dicendum est, neutrum posse objicere alterius fornicationem, aut alterius matr. consummationem, ad divortium celebrandum, quando postea detecto errore prioris sententiæ instauratur prius matr. De copula conjugali constat. Quia justo titulo ad aliud matr. transiit: cum in eo eventu utrique faculas aliud ineundi concedatur. Ut diximus disp. 93. n. 37. De copula autem fornicaria similiter constat quod uterque justa ratione se solutum existimarit, ac proinde fornicans minime fuerit adulterii reus: nec ex ea copula veritas prioris matr. constabat. Cum neuter declaratus sit omnino impotens, sed respectu illius. Quare dicendum est de hoc, sicut nu. 4. diximus de conjuge potenti fornicante post prioris matr. dissolutionem. Quia eadem prorsus militat ratio, ut probavi.

DISPUTATIO CII.

Utrum impotentia perpetua superveniens matrimonio id dirimat, ejusque usum impediat?

SUMMARIUM.

Impotentia superveniens matrimonio consummato, id non dirimit, num. 1.
Quid si rato superveniat? Refertur quædam sententia, 2.
Proponitur sententia Auctoris: & explicatur eam esse causam ut Pontifex dispenset in eo matr. rato, 3.
Satisfit argumentis, 4.
An impotentia coeundi supervenienti matr. liceant copula, & tactus, quamvis semen extra fundatur? Remissive, 5.
Quid si vir factus post matr. eunuchus, vel valde senex, corre possit, cum tamen non seminet? Refertur opinio, 6.
Proponitur sententia Auctoris, 7.
An quando femina nequit vivum fœtum edere, possit petere debitum: ac teneatur reddere, 8.
An quando femina nequit absque propriæ vitæ discrimine parere, teneatur reddere debitum, 9.
An possit tunc petere, & reddere? Refertur opinio, 10.
Explicatur sententia Auctoris, 11.
An quando mulier nupta nullatenus probare potest in foro externo impotentiam viri, ac cum illo experta est triennio, possit petere, & reddere, 12.

Quando matr. est consummatum, nemo potest in dubium revocare, an per supervenientem impotentiam cassetur. Quod res certissima sit matr. fidelium sola morte naturali dissolvi posse, quando consummatum est. Ut lib. 2. disp. 13. n. 2. & num. 11. probavi. 1

At difficultas est, quando supervenit matr. nondum consummato. Qua in re aliqui censent id dirimi per impotentiam supervenientem. Ducuntur primo ex *c. Quod proposuisti 32. q. 7.* quod est Gregorii III. ubi concessit cuidam licentiam migrandi ad aliud matrimonium, propter impotentiam perpetuam uxori priori supervenientem. Secundo, quia non minus requiritur ad conservationem rei, quam ad ejus essentiam. At matr. essentia consistere nequit, si a principio adsit perpetua coeundi impotentia. Nec ergo conservari poterit, si illo inito superveniat. Tertio, quia obligatio ad reddendum debitum semper comitatur matrimonium tanquam illius passio. Cessante ergo hac obligatione ob impotentiam supervenientem, cessabit matr. essentia: utpote quæ absque propria passione subsistere non valet. Tandem, quia *Alex. III. cap. ex litteris, de frigid. & malef.* fecit potestatem alterius matr. ineundi, cuidam cujus uxor ante consummationem reddita fuit copulæ inepta. Et ita hujus sententiæ sunt *Grat. 33. q. 1. in summ. ad fin. Albericus in suo diction. lit. I. v. Impedim. imped. 15. Jacob. Sprenger in malleo maleficarum 1. p. qu. 8. ad fin. Alex. Carrerius lib. 5. de sponsalibus cap. 18. & Rubión. 4. d. 35. q. 2.* dicit non esse certum oppositum, sed tantum probabile: unde hanc quoque sententiam probabilem existimat. 2

Ceterum verissima sententia est, nec matrim. ratum dirimi per quamcumque impotentiam supervenientem. Quod probatur ex *c. Hi qui 32. q. 7.* quod est ex Nicol. Pontif. ubi generaliter dicitur ob nullam impotentiam supervenientem matrimon. cessari. *D. D. August. lib. 1. de sermone Domini in monte, cap. 32.* & refertur *c. Si uxorem, 32. qu. 5.* affirmat retinendam esse uxorem antea ductam, non obstante quocumque corporis incommodo supervenienti. Ergo intelligit etiam impotentiam: cum ita universaliter loquatur. Deinde, quod receptissima sententia sit, matrimonium ratum fideliam per solam professionem certissime dissolvi: aut probabiliter per dispensationem Pontificiam. Et ideo hanc partem sustinent ex Theologis *D. Bonav. 4. d. 34. a. 2. q. 2. Et ibi Scotus qu. un. col. 2. Ricard. a. 2. q. 1. & 2. a. 3. q. 1. Majoris q. 1. ad fin. Supplem. Gabr. q. un. a. 2 corroll. 2. quod infert ex 1. prop. Palud. q. d. 27. q. 3. art. ult. concl. 3. n. 47. D. Ant. 3. p. t. 1. c. 1. § 2. Abulens. c. 19. Matt. qu. 90. in fi corp. Bassolis 4. d. 34. q. un. art. 1. & ibi Almain. qu. un. Nicol. de Orbellis qu. un. Sotus q. un. art. 2. col. 4. vers. Quid autem, Borillong. q. un. art. 2. Palac. disp. 5. col 5. Celaya qu. fi. 1. post 2. concl. Ovandus disp. un. prop. 8. Nicol. de Ulsa super 4. sent. tr. 6. p. 3. de matrim. q. 6. concl. 2. Martin. de Ledesf. 2. p. 4. q. 60. art. 1. col. 2. vers. Sed dubium est, Veracr. 1. p. specul. art. 38. concl. 2. Angles Florib. 1. part.* ubi de matrim. *q. 8. a. 1. dub 1. concl. 2. Enriq. lib. 11. de matrim. cap. 16. num. 7. & 8. l. 12. c. 8. n. 3. Toledo lib. 7. sum. c. 12. n. 4. Valentia 4. par. disp. 10. q. 5. punct. 3* ubi de impotentia, *vers. Dixi autem, Petr. de Ledesm. de matrim. q. 58. art. 1. in dubio quodam quod movet circa solut. ad 9. Cannedo sum. Sacram.* ubi de matrim. *c. 5. n. 31. Bart. a Ledes. de matrim. dub. 48. concl. 4. Manuel 1. t. sum. 2. edit. c. 235. nu. 2. ad fin. Vivald. candel. Sacram. 1. p.* ubi de matrim. *nu. 236. Vega 2. to. sum. c. 34. casi. 107. & 112.* Et ex Jurisperitis, *Goffr. sum. tit. de frigid. & malef. nu. 4. Ant. c. 2. n. 6. eod. tit. & ibi Alex. de Nevo fin. Præpos. ad fin. Abb. c. Ex litteris, nu. 3. eod. tit. & ibi Anch. fin. Alex. de Nevo num. 2.* & dicunt *Abbas & Alex. de Nevo, glos. ibi, v. Contraxit, relatam ad textum*, sentire idem *Brunel. de sponsalib. concl. 28. limitat. 5. num. 21. Astens. 2. par. sum. l. 8. t. 26. art. un. q. 1. & t. 27. art. un. q. 1. & t. 29. art. un. qu. 1. Lex regia 4. fin. t. 8. p. 4. & ibi Greg. Lop. v. Non se desfaze, Angelus v. Matrim. 3. imped. 16. nu. 2. Sylv. v. Matrim. 8. q. 16. vii. 8. Armill. v. Matrim. num. 48. Tabien. v. Impedim. 12. in fin. Gaeta c. Ad limina 30. q. 1. § 4. q. 118. p. 329. & q. 234. nu. 537. Matienzo lib. 5. recop. t. 1. rubr. glos. 1. nu. 192. Lancelot. instit. juris canon. lib. 2. tit. de divortiis, §. Item si quis ignorus, v. Ignarus.* At esset justa causa, ut Pontifex in eo matr. rato dispensaret, si mulrum timeretur de incontinentia alterius conjugis potentis. Ut bene docent *Abbas dict. cap. Ex litteris, n. 3. & ibi Alex. de Nevo num. 2. Brunel. Ang. Lancel. proxime allegati.* 3

Ad argum. num. 2. proposita resp. Ad primum, varias illius textus expositiones reddidi hoc lib. 7. disp. 80. nu. ult. Ad 2. dic multa esse necessaria ad rei essentiam, quæ ad conservationem minime desiderantur. Ad 3. dic obligationem reddendi debiti non semper comitari matr. sed initio. Ut constat, si postea communi consensu uterque conjux profiteatur: vel alter reus sit adulterii. Ad ultimum dic cum *glos. ibi v. Contraxit*, loqui textum quando impotentia præcessit matr. Et constat ex illis verbis: *Si mulier illa vitium illud a natura contraxit.* 4

Circa alteram disputationis partem urgentior est difficultas, qualiter liceat usus matr. conjugalis, quando eo legitime intentiæ supervenire potest, de quibus eorsum agendum est. Primum genus est, impotentia coeundi, quia in eam ægritudinem post matr. incidit vir, ut nequeat vas penetrare, præ imbecillitate sua, aut præ feminæ arctitudine, quæ matrimonio supervenit: aut quod illa semen retinere nequeat. Et de hac qui 5

late